









1742.

1. Bauner, Iosephus Interpretus, fac. jus. pro loco illius et  
Programma, quo summos in utique jure honoros Probus  
In deneo Mensero . . . in dicit.
2. Crumerus, Wilhelmus Zacharias : De tortura ejusque  
usq; et effectibus.
3. Rompelinus, Dr. Jacobus : De justis circa lithan-  
thraeo . . .
4. Ernesti, Dr. Thys : De glossinorum Graecorum uera  
im dale et recto usq;.
5. Ernesti, Dr. Augustus : De iusti pignorum capien-  
dorum apud veteres Romanos.
6. Hommelius, Ferd. Thys : De manu militari success.  
168 8. de res. vind. J.
7. Kaestnerus, Abrahamus : In condicis in debitis et  
solutione per errorum iuris facta, locum habeat?  
Similique collegia actusq; intimat.
8. Kaestnerus, Abrahamus : De Wetzaldo.



1742.

9. Marsorius, Gottfridus : De collatione bonorum. 17
10. Menserius, Cornelius Fridericus : De iure facti instantibus  
municipalibus competente. 18.
11. Mylius, Gustavus Haesius : De approbatione iuris-  
dictiorum. 2 exempl.
12. Reichenberg, Cornelius Mo, fac. iur. procuratarius :  
Programma, quo solemnia inauguralia Samuels Rudolphis  
Gothicis indicet.
13. Riviinus, Iohannes Florus, fac. iur. procuratarius f. b. s. p. 1.  
Programma, quo ad disputationes publicas invitatur.
14. Riviinus, Iohannes Florus, facult. iur. procuratarius Harris :  
Programma, quo ad solemnia Doctoralia Iuris Gratijidis  
Treppei invitatur.
15. Riviinus, Iohannes Florus : De culpa ab uno collegae  
commissa & hunc collegio praestanda.
16. Siegel, Dr. Gottlieb : De fundo praevaricatio refunda-  
menti et abilitatis cœnsa.

1742

- 17 Saepfer, Trajan Gallius: *De servitate rustica  
agorum in cultorum culturae probante*
18. Wenzelius, Iustus Fiducius: *De septimis Zenobia  
Palmyrenorum Augsta.*





827  
EXERCITATIO  
IVRIS CIVILIS  
DE

# COLLATIONE BONORVM

QVAM  
CONSENSV  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
P R A E S I D E

## GOTTFRIDO MASCOVIO, D.

AD D. XXII. NOVEMBRIS MDCCXLII.  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T E T  
A V C T O R  
IOANNES GOTTLLOB NEVHAUS  
L I P S I E N S I S

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA



\* \* \*

## C O N S P E C T U S .

- I.** Collationis bonorum Origo. Finis, cui ea primum introducta. Argumenti difficultas. Auctores praecipui, qui de eo egerunt. Ratio Instituti.
- II.** Ordo dicendorum. Proponitur L. 50. D. Famil. hercisc. Ex ea non conseruntur sumitus studiorum.
- III.** Sumtuum studiorum nomine veniunt quoque libri. Casus duo facienda collationis sumtuum studiorum. Cessat in ea exceptione non factae institutionis. Sumtus peregrinationum an ipsi quoque accenseantur sumtibus studiorum?
- IV.** Duae exceptiones a regula, in quibus collationi sumtuum studiorum locus est.
- V.** Quid hic dandum sit iudicis arbitrio in primis in sumtibus peregrinationum?
- VI.** Explicatur L. 1. §. 9. D. de Collatione bonorum. Suppletur pars Editæ perpetui de Collatione. De collatione, quae ex dicta lege fideiussoribus et pignoribus fit.
- VII.** Utrum conferendae impensae in dignitatem filii factæ? Exoletae Vlpiani aeno leges de Ambitu, unde tandem orta Condicio et Suffragio. Hodie interest, an dignitates emanantur? Praetudicium de non conferendis sumtibus Doctoratus.
- VIII.** Exhibetur L. 9. §. 2. D. de Collat. bon. Proponitur et dilucitur conjectura Cuiacii.
- IX.** L. 10 D. eod. cui obstat videtur L. 6. D. de Dor. collat. Species difficillimae L. 1. §. 16. D. de Coniung. cum emancip. lib.
- X.** An collatio eorum, quae parentibus intermeditis ab aeo data sunt etiam cum nepotibus facienda sit, cum hereditate parentum absint?
- XI.** Non fieri collationem ab Ascendentibus? Semper ii singuli succedebant ante et post SCrum Tertullianum. Quod in Nou. XVIII. et CXVIII. demum mutatum.
- XII.** Neque collatio exigitur a iunctis ab latere, et multo minus ab Extraneis.
- XIII.** De collatione viroris inopis, conferentis legatum minus libris aurum centum. Librae auri quid? Eadem collatio a marito recte exigitur.
- XIV.** Collatio etiam ab heredibus eorum peritur, qui eam facere tenebantur.
- XV.** Ea tantum conferuntur, quae quis a viuis parentibus accepit. Unde cessat collatio in Legatis et Fideicommissis. Cur de Legatis aliter, quam de Fideicommissis senserit Vlpianus in L. 1. §. 19. D. de Collatione bon. Cessat porro collatio in Donatione causa mortis.
- XVI.** Res conferenda eo tempore, quo de collatione quaeritur, in bonis esse debet. Vsurae quando solvenda sint in Collatione? Ex quo tempore in iis contrahabatur mors?
- XVII.** Utique conferenda est Dos, nisi filia heres instituta sit, vel pater collationem prohibuerit. Fructus autem ex vsurae dotis non conferuntur. Conferenda quoque est Donatio propter nuptias.
- XVIII.** Conferenda est etiam Arrha et Sponsalitia largitas. Sistitur L. 16. C. de Donat. ante nupt. Refellitus Lynckerus, qui distinctioni in hac le-

- \* \* \*
- ge obuienti, Vtrum osculum spon-  
saliibus interuenierit, nec ne, hodie  
locum esse negat. Osculum inter so-  
lennia Sponsaliorum. Idem ritus apud  
Franco viguit.
- XIX. Conferenda porro est omnis Do-  
natio ob caussam. Quo pertinent I.  
Subsidia paterna, II. Quantitas pro-  
pter alimenta data, III. Multa pro  
filio praesita, IV. Quod pater ex  
siediuissione pro filio soluit, vel V. com-  
parandas Praebendae impedit.
- XX. Collatio sit in primis Re: inter-  
dum etiam per Remissionem. Valo-  
re pecuniae mutato, ad quod tempus  
respicendum sit?
- XXI. Collatio militiae quid? De Mi-  
litia ex Casu. Laelii Taurelli de hac  
opusculum.
- XXII. De oneribus rei conferenda  
inhaerentibus, et I. de aere alieno,  
II. de Impensis iisque cum necessariis  
et utilibus, tum voluntariis. De an-  
notatione paterna, ex qua de praec-  
sitis constare possit.
- XXIII. Petitur Collatio .I Actione  
Familiae herciscundae, II. Condicatio-  
ne ex stipulatu. Exceptiones, quibus  
contra has actiones locus.
- XXIV. Exhibetur L. 12. C. de Collatio-  
nibus. Per eam non confertur Pec-  
culum castrense. Eius nomine quid  
in Collatione veniat, aut non veniat?  
Peculio Castrense assimilatur Quasi-  
castrense. Quando hoc introductum?  
Notatur Balduinus.
- XXV. Porro per d. l. non confertur  
Peculium Relictum. Peculium reli-  
ctum quid? Comparantur ei sumitus  
coniuuii nuptialis. Casus, quibus hi-  
nihilominus conseruantur.
- XXVI. De collatione alimentorum. Pa-  
ter atque filiam testamento damnare  
possit, ut alimenta conserat? Quod  
negatur.
- XXVII. Sistitur L. vlt. C. de Collat.  
Per eam non confertur peculium Ad-  
uentitium. Exempla I. Peculii Ad-  
uentitii Ordinarii, de quibus ratione  
Collationis quaeri possit.
- XXVIII. Conferuntur etiam Fructus  
bonorum Aduentitorum Ordinario-  
rum. An etiam a liberis Emanci-  
patis? Impensa a patre in bona li-  
berorum Aduentitia facta quomo-  
do conservantur?
- XXIX. Exempla II. Peculii Aduenti-  
tii Extraordinarii.
- XXX. Representatur L. 20. §. vlt. C.  
de Collat. ex qua decidenda quaestio,  
An donatio simplex liberis a parenti-  
bus facta conserenda sit? Quae nega-  
tur. Reicitur sententia Dionyssi Go-  
tobosredi. Offenditur, L. 13. C. de Collat.  
prima specie contrariam, male solui  
a Cuiacio. Reiciuntur commenta  
Vinnii et Brunneri. Vera legis spe-  
cies proponitur.
- XXXI. Explanatur Nou. XVIII. c. 6.  
Per eam aequalitas finis nouissimus  
collationis esse coepit. Cui locus nisi  
pater aliud iussit. Voluntas tamen  
probibent ex solis indicis colligi  
nequit: et si sufficient verba obliqua.  
Abrogatur per d. Nouellam L. 39. §.  
i. D. Famil. hercisc.
- XXXII. Adducitur Nou. XCVII. c. 6.  
Distincte tractatur quaestio, quae in  
ea proponitur, nimirum, An indistin-  
cte dotem conserre cogatur filia?

DE COL-



DE  
**COLLATIONE BONORVM**

§. I.



OLLATIO bonorum, de qua sae-  
piissime in iudicio hereditatis diui-  
tudiae quaeritur, si originem spe-  
cetes, egregia iuris honorarii portio  
est. Non enim hic Praetor, vt in  
Constituta pecunia, Hypotheca et  
Bonorum Possessione nudis tantum vocabulis ludit, sed  
rem plane nouam aggressus obtentu incommodi, quo  
liberos Suos emancipati afficiebant petentes bonorum  
possessionem, ius vetus palam et aperte in potesta-  
tem suam redigit. Nam cum emancipati perinde ac  
ii, qui in potestate mansissent, participes fierent here-  
ditatis paternae, iure stricto ad solos Suos pertinentis,  
non iniquum esse Praetori visum est, si sua quoque  
in medium conferrent qui appeterent aliena. Quippe

A.

id

2 DE COLLATIONE BONORVM.

id datum erat potestati patriae, ut quicquid liberi in manu patris constituti acquirerent, id patri acquirent. Si qua igitur filius Suus ab aliquo heres institutus esset, herediras patri quaerebatur; si qua haberet tabernam et merces peculiares, aut mancipia et iumenta, omnia haec patris erant, et quicquid inde filio obueniebat, patri obueniebat, sola spe filio relicta, post mortem patris suo ea iure adipiscendi. Verum haec spes ipsa saepe per emancipationem elidebatur, qua patris e manu qui mitteretur, iurium familiae omnium extorris siebat, et, amissa spe hereditatis paternae, etiam peculio suo excidebat. Quod damnum alia utilitate pensatum est, quum, qui antea filius familias omnia patri acquisisset, nunc sui iuris factus quicquid enitebatur, sibi eniteretur. Sed hoc lucrum omne ab emancipatis post emancipationem factum Praetor eos conferre iussit bona paterna possessueros cum Suis: quod deinde ad Suos etiam inter se concurrentes porrectum fuit, donec suorum et emancipatorum differentia tolleretur et noua succedendi ratio nouas quaestionum formas gigneret. Quibus iuris progressibus et nouae veterisque legislationis varietate factum est, ut collatio bonorum multis nodis implicaretur, quos secum reputantes Doctores veteres apud SICHARDVM ad Titulum Codicis de Collationibus, principio, nullum ea in toto Codice subtilius aut difficilius argumentum reperiri, aiunt. Salibrarum tamen insignis diminutio facta est, postquam

GEOR-

## DE COLLATIONE BONORVM.

3

GEORGIVS ADAMVS BRVNNERVS, ARNOLDVS  
VINNIUS et nouissime Dr. IOHANNES ADAMVS  
BECKIVS commendabili opera fines collationum me-  
tiri studuerunt, quorum laudibus nihil detractum vo-  
lumus, dum sepositis Doctorum opinionibus, ipsas  
Leges Iuris Iustiniane, praecepue quarum usus hodie in  
Collationibus superesse possit, expendimus.

### §. II.

ORDINEM Pandectarum sequutis primo se nobis An conferen-  
di sint sum-  
tu, a patre  
in studia filii  
facti?  
loco excutiendam offert

#### L. 50. D. Familiae herciscundae.

Quae pater filio emancipato, inquit Vlpianus, stu-  
diorum causa peregre agenti subministravit, si non  
credendi animo pater mississe fuerit comprobatus, sed  
pietate debita ductus, in rationem portionis quae ex  
defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, compu-  
tari aequitas non patitur.

E quibus verbis non coniectura, sed oculis et manibus  
comperimus, Quaecunque pater filio studiorum cau-  
sa peregre agenti subministrauerit, ea non computari  
in portionem eius hereditariam. Vnde prono aliud  
fluit, hos sumtu non tantum non computari in por-  
tionem filii legitimam, sed per verborum generalita-  
tem neque in bona conferenda. In alia omnia it  
GEORGIVS BEYERVS in *Delineatione Pandectarum ti-*  
*tulo de Collatione bonorum §. XIV,* existimans, de sola im-

A 2

puta-



#### DE COLLATIONE BONORVM.

putatione in portionem legitimam in hac lege agi, ab  
hac autem portione diuersam esse rationem collationis,  
eo quod Iustinianus in *L. 20. C. de Collationibus* ea tan-  
tum conferri velit, *pro quibus specialiter legibus, ut hoc*  
*fieret, expressum sit.* Sed lex *50. D. Familiae her-*  
*ciscundae* implicite ad collationes pertinet, quum eo  
ipso sumtus studiorum collationi eximantur, quod  
in portionem, quae ad filium pertineat, non com-  
putantur. Igitur non conferuntur sumtus studio-  
rum filio peregre agenti a patre subministrati. Quid,  
si domi facti fuerint? Multo minus conferendi vi-  
debuntur, quum pars sint alimentorum Ciuilium, et  
haec vel vitricum repeteret vetet Imperator Gordianus  
in *L. 15. C. de Negotiis gestis.* Nam non pro-  
creari tantum sobolem Reipublicae interest, sed, si  
id in parentibus sit, etiam liberaliter educari, quod  
sit primo informando ad Pietatem, tum erudiendo  
in artibus et scientiis: *IVVENALIS Sat. XIV.*  
*v. 70. seqq.*

*Gratum est, quod patriae ciuem populoque dedisti  
Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris  
Vtilis et bellorum et pacis rebus agendis  
Plurimum enim intererit, quibus artibus, et quibus  
hunc tu  
Moribus instituas.*

Simili ratione a collationis lege in divisione hereditatis  
maternae soluti erunt liberi, quibus mater, patre ino-  
pia

pia presso, vel mortuo sumtus studiorum suppeditauerit: quum pietas naturalis non minus in matre, quam in patre se se exserat, et si potestas eius in liberos patriae inaequalis sit: perinde ut alimenta quoque iure ab ea liberi exigunt, et cetera bona, si qua ei per excitatam fortunam suam procurare ea liceat. Quod autem de patre deinceps dicetur, de matre etiam et reliquis Adscendentibus intelligi volumus, et si breuitatis caussa eorum non fiat mentio: quemadmodum et liberorum nomine nepotes et ceteros Descendentes complectimur.

### §. III.

AD sumtus autem studiorum nomine factos re-  
ete etiam referuntur libri filio a patre studiorum cau-  
fa comparati. Quid enim filius in litteris profecerit  
libris? et, si nemo indignatur, equum, ensē,  
loricam, cassidem filio in militiam proficisci a patre  
data collationi eximi L. 4. pr. D. de Caſtreñi peculio L. 4.  
**C. Familiae herciscundae.** quis succenseat, suppelleat item  
librariam, instrumentum militiae togatae et civilis pari-  
cum armis iure frui? Idem porro dicendum puta-  
mus, etiamsi quaeratur de libris non necessariis filio  
datis, cum saepe pater de sanguine suo bene speret, et  
liberaliori apparatu librario excitatum eat naturales  
mentis facultates ipsius. Iam, quum sumtus studio-  
rum collationi eximantur, nemo dubitat, quin filia,  
quae dotem a patre acceperit, ea caussa, quod tan-  
dem,

## 6 DE COLLATIONE BONORVM.

dem, imo plus in filii studia impensum sit, a lege collationis solui non possit. Interdum tamen in conferendis his sumtibus fortunae aliquid tribuendum erit. Ecce enim si tres sumus fratres, fieri potest, ut maiori natu sumtus studiorum sine onere collationis cedant, minoribus contranou suppeditentur. Nam, si maiori natu pater eos superstes praestiterit, intercepta per mortem patris minorum spe, minime his integrum erit, vti exemplo fratri natu maioris, et sumtus studiorum e communi substantia petere; quia pater in viuis esse desiit, *L. 17. in fine C. de Collationibus.* Propter generalem autem legis nostrae dispositionem cef-sabit collatio, etiamsi valor librorum quantitatem quingentorum Aureorum excedat, et insinuatio dationis eorum nulla facta sit: nisi talis cauſa superuenerit, propter quam reuocari liberalitas possit, quales recensentur in *L. 10. C. de Revocandis donationibus.* Porro e verbis legis nostrae *peregre agenti* prona nascitur occasio, sumtus peregrinationum quoque accensendi sumtibus studiorum, quod et probat *Illust. WERNHERVS Observacionum Forensium T. I. P. II. Observazione 424.* Est is mos per cultiores Europae regiones peregrinandi Germanis quoque familiaris, quos ideo laudat *MARESIVS Epistolarum Philologicarum Lib. I. 43.* Ediscuntur ita expeditius linguae peregrinae, quarum notitia partim in Aulis grata, partim in litterarum studiis eximiae utilitatis est. Dum porro peregrinator multorum hominum mores et vrbes

## DE COLLATIONE BONORVM.

bes inspicit, paratur ei prudentia ciuilis, inducitur Genius seculi, et sic deinde facilius suis vniuersciusuis moribus fingitur fortuna. Quare hoc peregrinandi studium vehementer commendat LIPSIVS in Epistolis suis passim qui etiam in Epistola XXII. Centuriae primae miscellaneae optima peregrinantibus praecepta tradit.

### §. IV.

ADDIT Vlpianus, *Si non credendi animo pater mi-* Quid, si cre-  
*sse fuerit comprobatus.* Deliquum igitur patiuntur <sup>hi sumtus</sup> superius dicta de non conferendis sumtibus studiorum <sup>filio a patre</sup> et peregrinationum, I. Si pater testamento, vel alia <sup>suppeditati</sup> sumti? cautione collationem fieri iussit, seu, si constet, hos sumtus a patre animo credendi repetendive factos suisse, modo huiusmodi legem tempore liberalitatis factae indulgentiae suae imposuerit, L. 20. in fine. C. de Collationibus, qui tamen credendi animus inde non statim patescit, quod pater hos sumtus Rationibus suis, sive libro datorum et acceptorum intulerit, nisi simul testimonialis sit, velle se, ut filius eos conferat: alias enim memoriae tantum causa annotasse eos videbitur. Quodsi contra hos sumtus inter Nomina retulerit, collationi locus erit. Neque tamen vel sic quidem omnia, quae filio studiorum aut peregrinationum nomine a patre praestita fuerint, conferri debebunt, sed potius deduci poterunt, quae ad sustentationem, seu ad viectum et amictum pertinent, et a patre filio, si in familia manasset, exhibita fuissent. Detrahi porro poterunt quae

## 8 DE COLLATIONE BONORVM.

in ludis humanitatis disciplinarum caussa impensa fuerint, vna cum viaticis itinerum, quae ad has bonae mentis officinas filius fecit, quia pater haec omnia iure ei sanguinis debet, et proinde integrum illi non est, sua cautione detrahere iuri publico. Vno verbo res omnis sita erit in arbitrio iudicis, qui pro religione sua et ad ingenii nobilitatem animum conuertet et ad patrimonii amplitudinem, cum iis qui ex paupere casâ prodierunt, facilius arcta suppellex sufficiat, quam quibus exundantes opes et amplissimae suppetant facultates. Facienda II. etiam collatio erit, si filius plus vini, quam olei impenderit, profusa luxuria et perdita nequitia, L. 1. §. 23. et L. 2. §. 2. D. de Collatione bonorum. Dandum tamen hic aliquid videtur leuitati iuuenili, qua

*Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,  
Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi:  
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,  
Vtilium tardus prouisor, prodigus aeris,  
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.*

HORATIVS de Arte Poëtica v. 161. seqq. et quum de homine quotidie in liberalibus artibus versante non nisi liberalis esse possit exspectatio, qui hos sumtus male collocatos contendit, male collocatos probare debet. Sed finge iam, filium litterarum rudem domum rediisse. Subsistimus: neque tamen ideo sumtus studiorum confessim eum conferre iubemus: vtique si id contigerit imbecillitate in-

te ingenii, et filius, quantum in ipso fuerit, non desiderari passus sit diligentiam suam. Male vero manifeste collocati sumtus videbuntur, si filius studia deseruerit et verbi gratia factus sit miles. Amplectimur tamen sententiam bene distinguentium, vtrum filius propter discentum vitae genus, abiectis studiis, militiae nomen dederit, an contra, qui mos apud nos est hominum Nobilium, rei militaris caussa studia secutus fuerit, aut, sic ferentibus rebus eius, cum antea frugi fuisset, in militum se numerum referri suerit.

## §. V.

**PORRO** non intercedimus, quo minus arbitrio *Quid hic  
dandum sit  
iudicis ar-  
bitrio?* iudicis locus sit, si patris liberalitas iusto effusior fuerit in libris filio comparandis. Est enim iudicium familiae herciscundae iudicium Arbitrarium. Itaque si ceteris liberis Laribus, sepulcro aucto et similibus carendum sit, nisi libri vni dati conferantur, ipsa aequitas collationem fieri suadebit quoad sumtus immodicos. Quare iudicis erit aestimare numerum liberorum, et facultates patris, et pretia librorum, ac ita rem temperare, ne vel, dum collatio nimis urgetur, filius, qui litteris operam dederat, studiorum desertor fiat, vel, dum ea plane remittitur, reliquis liberis iniqua inferatur conditio. Eidem iudicis arbitrio multum tribuemus, si integra bibliotheca, in primis quae magni pretii sit, filio a patre data fuerit. Nam sic quoque vulnus vehemens rei familiari cete-

B

rorum

## IO DE COLLATIONE BONORVM.

rorum liberorum inferri possit, si filius post mortem patris bibliothecam integrum praecipiat, et sic interuertatur aequalitas, cuius contemplatione collatio fit. Igitur et hic quandoque consultius erit, filium solo ysu contentum esse iubere, ceterum ad conferendum cogi. Quia peregrinantium quoque multi ita vivere solent, ut non tantum in contemplationem Templorum, Palatiorum, Armamentariorum, Co-moediarum, aliorumque id genus ludicrorum, multos eosdemque inanes sumitus faciant, sed etiam in crapulam et Venerem effusi, ingentem saepe pecuniae vim in luxu et voluptatibus perdant; hic etiam multum arbitrio iudicis dandum videtur, ne, si insani fuerint hi sumitus et malo more facti, reliquorum liborum res familiaris pessundetur, si non conferantur sumitus itineris ab uno facti, quod et Illustri Ordini Iuridico Lipsensi visum est in graui et eleganti Response, cuius verba exhibit Dn. BECKIVS de Collatione bonorum p. 280. seqq.

### §. VI.

*Collatio cau-  
tionalis  
quaer?*

PATITVR autem Praetor, eum, qui collationem Re facere nequit, recte cauere. Refert id VI- pianus in

*L. i. §. 9. D. de Collatione bonorum.*

*Iubet autem, inquit, Praetor ita fieri collationem, ut recte caueatur. Caueri autem per satisfactionem oportere, Pomponius ait. An pignoribus caueri possit,*

DE COLLATIONE BONORVM. II

possit, videamus. Et Pomponius lib. 79. ad Edictum scripsit, et reis et pignoribus recte caueri de collatione: et ita ego quoque puto.

Desumta est haec lex prima Digestorum de Collatione bonorum, ex Vlpiani libro quadragesimo ad Edictum. Intercidit autem ea Edicti Praetorii particula, quae ad collationem pertinuit, omissa a Triboniano, qui alias initio titulorum recensere solet verba perpetuae huius legis. Supplentur ea in Edicto perpetuo ad mentem Guilielmi Ranchini, Iacobi Gothofredi, Gerardi Noodtii aliorumque doctorum virorum restituto, apud Christianum Godofredum HOFFMANNVM Historiae Iuris Vol. II. p. 337. sequenti ratiene: *Filios emancipatos, quibus bonorum possessio dabitur, sua bona in medium conferre, filiis in potestate existentibus, boni viri arbitratu iubebo, ita, ut collatio fieri censeatur, si recte eo nomine cautum fuerit.* Sed latius patuit Edictum. Videas enim partem eius aliquam hic praetermissam adduci in L. n. C. de Collationibus. Quicquid sit, audis Praetorem, edicentem suo more. Quid enim magis solitum Praetori, aequitatis studio quam lites dirimere arbitratu boni viri? quid magis confuetum, quam decurrere ad cautionem, quando incerta est damni imminentis aestimatio? Haec de Edicto: pergo ad cautionem. Divisioni hereditatis etiam locus est, ex sententia Pomponii apud Vlpianum, si collatio tantum promittatur, modo hoc promissum fideiussoribus, vel pignoribus confirmetur. Quod necessitas

12 DE COLLATIONE BONORVM.

ipsa suadere videtur, quando tempore collationis facienda nondum constat, quid, quomodo, aut quantum conferendum sit, sed deinceps demum hoc conferri potest. Qua cautione praestita collator defunctus videtur omni obligatione sua, ut ne quidem ad depositionem iudiciale pecuniae conferenda cogi possit, MEVIVS P. I. Dec. 86. Fit autem haec cautio pro modo rei conferendae, et indulgendum est eis, a quibus sit, in primis si paupertate laborent, arbitrio iudicis, tanquam boni viri iustum temporis spatium, intra quod fideiussores, aut pignora parent: qui collocatores contra, si id res fuerit, damnum sarcire tenentur, quod inconsulta eorum mora datum sit, L. 2. §. 9. D. de Collatione honorum. Quodsi intra spatium a iudice indultum neque fideiussores, neque pignora ab iis inueniri possint, Curator portioni eorum constituendus est, qui eam tamdiu administret, donec collatae sint res conferendae, L. 1. §. 10. et 13. D. eod. quod proinde ultimum remedium est, si spes omnis deficiat cautionis impetranda. Permisit autem Praetor, pro suo aequitatis studio, etiam variare, ita ut, quamvis filius cautioni renunciauerit, denuo ad eam decurrere possit, L. 8. D. eod.

§. VII.

Sumptus in  
Dignitatem  
filii facti, an  
a patre factis  
conferendi?

SEQVITVR de sumtibus, dignitatis filii nomine,

L. 1.

## L. i. §. 16. D. de Collatione bonorum.

Sed an id, quod dignitatis nomine a patre datum est, vel debetur conferre quis in commune cogatur, videamus. Et ait Papinianus libro 13. Quaestio-  
num, non esse cogendum. Hoc enim propter one-  
ra dignitatis praecipuum haberi oportere. Sed si  
ad huc debeatur, hoc sic interpretandum est, ut non  
solum oneretur is, qui dignitatem meruit, sed com-  
mune sit omnium heredum onus hoc debitum.

Ex his verbis recte elicetur, pecuniam, quae filio a  
patre data sit, dignitatis consequendae cau-  
sa, non esse conferendam. Exoleuerant scilicet VI-  
piani aevo leges Calpurnia, Aufidia, Cornelia, Fulvia,  
Fabia, Pinaria, Pompeia, Tullia et Iulia de ambitu latae,  
quibus foedi et infames eiusmodi Candidatorum sum-  
tus visi. Qua in re eo tandem deuentum est impu-  
dientiae, ut non solum impune esset, pretio tentasse  
suffragia eorum, qui circa latus Principis essent, sed  
et his, quibus quid promissum foret, vltro Condi-  
ctio certi ex Suffragio daretur, L. vn. C. de Suffragio.  
Soli deinde Praefides excepti in L. 6. C. ad Legem Iu-  
liam repetundarum. Sancimus, inquit Imperatores  
Theodosius et Valentinianus, eiusmodi viros ad Provin-  
cias regendas accedere, qui ad honoris insignia non ambi-  
tione vel pretio, sed probatae vitae et amplitudinis suae  
solent testimonio pronoueri: ita sane, ut quibus hi honores  
per sedis tue, vel per nostram fuerint electionem commissi,

## 14 DE COLLATIONE BONORVM.

*iurati inter gesta deponunt, se pro administrationibus  
sortiendis neque dedisse quidquam, neque datus unquam  
postmodum fore, sive per se, sive per interpositam perso-  
nam, in fraudem legis, sacramentique. Quibus gemi-  
na sunt, quae Iustinianus constituit in Nouellae VIII.*

c. 7. Ratio autem Vlpiani ab oneribus petitur ciuitat-  
um, vt pote quibus magistratus suis sumtibus suffi-  
cere debeant: vnde Legitimationi per Oblationem  
Curiae origo est, cui propterea inter solos opulentio-  
res locus fuisse videtur. Quodsi promissum quidem,  
sed nondum solutum sit id, quod dignitati filii desti-  
natum est, coherendum omnium hoc debitum commu-  
ne adeoque conferendum esse, deinde monet Iure-  
consultus. De vsu legis nostrae si quaeratur, id  
maxime respiciendum erit, sitne redemptio dignitatum  
e more regionis inter licita, an contra vetitis accen-  
seatur, vt nimirum illo casu sumtus a patre in digni-  
tatem filii facti non conferantur; hoc conferantur. In  
Gallia certe munera et dignitates hodie quoque passim  
auro venales sunt. Praeturas certe Franciscus I. pu-  
blice vendidit, donec munera omnia, sensim venalia  
fierent, BODINVS de Republica L. V. c. 4. et L. VI. c. 2.  
Quae Fisci industria carpendale an laudanda sit late  
disquirunt BODINVS dd. II. et THYANVS L. CXXXII.  
§. 12. quibus addatur LE VASSOR dans son Histoire de  
Louis XIII. tome II. p. 28. seqq. Quodsi virtutis simul  
ratio habeatur, ferri potest hoc institutum. Inde ne-  
mo facile dubitat, quin conferendi non sint sumtus  
a patre

a patre in dignitatem filii Academicam facti, nam et haec non nisi bene meritis conferri deberent, et suis non carent oneribus, si quis eas honeste tueri velit. Videatur igitur et hic cum augescente filii amplitudine gliscere vna patris amor et pietas. Quare rectissime responsum est a Dnn. Scabinis Lipsiensibus apud CARPOZOVIVM P. III. c. XI. def. 17. n. 1. minime a filio conferri sumtus Doctoratus.

## §. VIII.

SVCCEDAT dispunctio Critica ad

L. 2. §. 9. D. eod.

*Si per inopiam, inquit Paullus, emancipatus caue-  
re non possit: non statim ab eo transferenda est pos-  
sesso: sed sustinendum; donec possit inuenire fide-  
iuzzores, ut tamen de his, quae mora deteriora fu-  
tura sunt, actio detur, ipsique caueant, in medium  
collaturos, si cautum eis fuerit.*

Actionem pro auctione hic ponit CVIACIVS ad Vlpiani Fragmenta Tit. XXII. §. 26. eleganti coniectura. Quibus enim rebus distractio magis conueniat, quam iis, quae mora deteriora futurae sunt? Agere quoque saepe idem esse ac licitari, ostendit FORNERIVS Selectionum L. I. c. 16. In Basiliis tamen haec vox ἀγωγή vertitur, vti iam obseruauit Ioannes Guilielmus HOFFMANNVS in Meletematum Academicorum ad Pandectas Dissert. XXVIII. §. 1. quod vocabulum non au-  
tionem

*Actio an auc-  
tionem si-  
gnificet in  
L. 9. §. 2. D.  
de Collatione  
bonorum.*

## 16 DE COLLATIONE BONORVM.

Etionem sed *actionem* significat. Quidni igitur rece-  
ptam lectionem sueto sensu accipimus, in primis cum  
similiter loquantur Imperatores Diocletianus et Maxi-  
mianus in L. 12. C. de Collationibus. Filiae, inquit, li-  
cet maneat in sacris, si dotem non conferat, quam mor-  
tis tempore communis patris habuit, fratribus in eadem  
familia constitutis *actiones hereditarias* denegari non ambi-  
gitur. Loquitur autem Paullus de *actione familiae*  
herciscundae.

## §. IX.

Legi 10. D. de NVNC Scaeuelam audiamus, ampliantem Edic-  
Collat. bon. conciliatur Sententiam in

L. 10. D. de Dot.  
collatione.  
Noua lux  
additur L. l.  
§. 16. D. de  
Coniung.  
cum eman-  
cip. lib.

## L. 10. D. eod.

Si filius, inquit, in potestate heres institutus ad-  
eat, et emancipato petente bonorum possessionem  
contra tabulas, ipse non petat, nec conferendum  
est ei: et ita Edictum se habet. Sed magis sentio,  
ut quemadmodum pro parte hereditatem retinet in-  
re, eo quod bonorum possessionem petere posset, ita et  
conferri ei debeat: utique cum iniuriam per bono-  
rum possessionem patiatur.

Collationem ab emancipatis Praetor fieri tantum iusse-  
rat, patre intestato mortuo, aut, si testato, quando bo-  
norum possessionem contra tabulas peterent, ad quam  
eos non aliter admisisse videtur, quam si ea a filii in  
potestate retentis et heredibus institutis ipsis quoque  
posce-

posceretur. Scaeula contra , producere volens  
æquitatis fines, etiamsi Sui instituti *omissa* petitione bo-  
norum possessionis contra tabulas hereditatem ex testa-  
mento paterno amplectentur , conferri iis dicit ab  
emancipatis , quoniam utique suis integrum fuisset,  
pro parte sua bonorum possessionem petere, et omnino  
iniuriam patientur , per bonorum possessionem emanci-  
patis datam, quia haec incommodo eos afficit. Verum re-  
niti Scaeulae Papinianus videtur in *L.6. D. de Dotis colla-*  
*tione, Pater, inquit, filium emancipatum heredem instituit, et*  
*filiam exhereditavit, quae in officio si lite perlata partem dimi-*  
*dium hereditatis abstulit: Non esse fratrem bona propria con-*  
*ferre cogendum, respondi: nam et libertates competere placuit.*  
Sed proponitur a Papiniano species inuersa. Scaeula  
namque de suo instituto loquitur, Papinianus de eman-  
cipato, quo posteriori casu collationi ideo locus negatur,  
quia filia exheredata non a Praetore sed a patre iniuria  
affecta videtur , utpote qui filium emancipatum solum  
heredem instituit. Cum autem Praetor solis suis E-  
mancipatos conferre iussisset, illatum inde fuit in veteri  
iure , eos non conferre concurrentes inter se , *L. 1.*  
*§. 5. L. 2. §. 5. D. de Collatione bonorum, L. 9. C. de Col-*  
*lationibus.* Mutatum hoc ab Imperatore Leone , qui  
in *L. 17. C. eod.* liberis tam sui iuris , quam in pot-  
estate constitutis aequa lance parique modo prospici  
vult. Sed potest videri simile aliquid dudum antea ten-  
tasse Scaeula in *L. 1. §. 16. D. de Coniungendis cum eman-*  
*cipato liberis.* Si sit filius , inquit , in potestate , aliis  
emanci-

## 18 DE COLLATIONE BONORVM.

emancipatus, ex defuncto unus nepos in potestate, alius nepos emancipatus: eleganter Scaeuela tractat, patruus emancipatus, quantum nepotibus, quantum fratri suo conferat? Et ait posse dici, tres eum partes facere: unam sibi, unam fratri, unam ipsis collaturum: quamvis hi minus quam patruus ex hereditate cui concurrent patre sint habituri, quae sententia vera est. Thema sequens esto: Paterfamilias filium in potestate, alterum emancipatum, et ex tertio defuncto duos nepotes reliquerat, quorum alter in potestate mansisse, alter autem emancipatus fuisse proponitur. Auo mortuo filius emancipatus partis bonorum suorum possessionem petit, et tractat Scaeuela, quantum is primum fratri qui in potestate remanferat, tum quantum filii ex fratre defuncto conferat. Ait autem, posse dici, tres eum partes facere oportere, quarum alteram ipse retineat, alteram fratri superstiti conferat, tertiam nepotibus praestet, quoniam hi, etiam si alter eorum emancipatus fuerit, tamen iure patris succedant, qui in potestate cui constitutus decesserat. Notii, Scaeuelae tractationem falsam et vitiosam vide ri CVIACIO Observationum L. III. c. 29. vtenti vetere regula, qua Emancipato, qualis in hoc casu sit alter nepos, non confertur. Sed superuacua est emendatio, quam Scaeuelae Cuiaci saeuio ferro parat. Insestit enim Scaeuela rigorem iuris veteris ad aequitatem, sic poscente more seculi sui: qua arte pedetentim factum est, ut iure novo praeualeret simplicitas naturalis.

§. X.

## §. X.

ITA in superiori loco filius conferebat nepoti. *An collatio eorum, quae parentibus intermediis ab auo data sunt facienda sit a nepotibus abstineant?* Nobis adfirmando videtur quaestio, quia, *sunt facienda sit a nepotibus abstineantibus?*

Nepotum filiis conferentium frequentiora exempla. Qua occasione saepe quae situm est, an collatio eorum, quae parentibus intermediis ab auo data sunt, etiam a nepotibus facienda sit, si hereditate parentum abstineant? Nobis adfirmando videtur quaestio, quia, ex qua persona lucrum quis capit, eius factum quoque praestare debet, *L. 149. D. de Regulis iuris*, et qui in ius alicuius succedit, iure eius vt debet, *L. 177. D. eod.* Succedunt enim nepotes auo auiaeque iure parentum intermediorum idcoque non plus capere possunt, quam illi cepissent, aut onus detrectare, quod illis subeundum fuisset, cum qui in locum alius subintrat, idem etiam praestare cogatur, quod si in viuis esset, praestaret is, in cuius locum subingreditur. Praeterea per *L. 19. C. de Collationibus* patrui quoque nepotibus conferunt quicquid ab horum auo acceperunt, vnde si nostra sententia desereretur deterior eorum conditio esset quam nepotum, et si hi defuncto de cuius hereditate queritur remotiori gradu sint, et eos is ideo minus dilexisse presumatur, quam patruos eorum, suos filios. Accedit, quod si viri boni arbitrium exigatur, sine dubio is iudicaturus sit, satius esse, vt dilapidatio filii intermedii, vel etiam casus eius nepotibus eum repraesentantibus noceat, quam, vt reliquis aui filiis superstitionibus ex sua persona succendentibus damno sit, quod tamen fieret, si

## 20 DE COLLATIONE BONORVM.

abstentio ab hereditate paterna eos liberaret a collatione eorum, quae pater ab aucto accepit. Instas, prodesse tamen nepotibus, quod a nemine conferendum est id, quod neque dolo neque culpa possidere desit,  
*L. 2. §. 2. D. de Collatione bonorum.* Sed verum est id, excepto casu quo personam quis alias repreäsentet, et sic factum eius praestare cogatur. Quam sententiam nostram probat et latius exsequitur Dn.  
**WERNHERVS** *Observationum forenium P. IV. c. 499.* qui in sequenti obseruatione 500. vberim ostendit, idem ius obtinere, si qua de abstentione nepotis, in concursu cum nepotibus, quaeratur.

## §. XI.

*An ab Adscendentibus etiam fiat Collatio?*

CONFERVNT igitur Descendentes, iisque cum primi tum vltioris gradus et conferunt soli. Certe eo tempore, quo Edictum Praetoris conditum est, casus collationis in Adscendentibus ne animo quidem singi poterat, quia Adscendentes nunquam plures, imo ne duo quidem simul succedebant. Antequam enim Senatusconsulto Tertulliano matribus successio daretur in bonis liberorum, pater matrem excludebat: eadem dicto Senatusconsulto quoque, deficiente demum patre admissa est, et si auum et proauum excluderet et vel sic personae adscendentes semper singulae succederent. Concessa deinde liberis in potestate constitutis proprietate bonorum maternorum, si parentes, deficientibus Descendentibus cum fratribus et sororibus

bus concurrerent, fratres et sorores parentibus praelati fuerunt, adeoque nec tum parentum collationi locus fuit. Postquam autem in *Nouellae XVIII. c. 6.* collationem ex sola aequalitate aestimari voluit Iustinianus, et in *Nouellae CXVIII. c. 2.* deficientibus Descendentibus etiam plures Adscendentes ad hereditatem liborum admissi sunt, naturaliter rem aestimantibus minime absurdum videri possit, Ascendentibus quoque onus ea, quae a Descendentibus acceperunt, conferendi imponi. Sed facit iuris veteris reuerentia, qua ius nouum semper stricte accipitur, vt, cum Iustinianus in *Nouellae XVIII. c. 6.* aequalitatis *inter liberos* tantum seruandae mentionem faciat, collationem ab Adscendentibus non exigamus, idque sine discriminé, siue nimirum cum defuncti liberis testamento instituti sint, siue ab intestato veniant, siue plures eorum inter se, siue cum liberis concurrant. Igitur, si fingas, matrem a filio, quod fert vitae civilis usus, vt iterum nubere posset, dote auctam, post mortem filii concurrere cum fratribus eius aut fratum liberis, praecipuam mater dotem habebit, quam filius ei dedit neque ea dos oneri collationis obnoxia erit. Neque his obest, quod in *Nouellae XVIII. c. 6.* ab Imperatore sola aequalitas desideratur; et pater et mater ad flebilem successionem liberorum *aquo iure* vocantur in *Nouellae CXVIII. c. 2.* Nam, cum Iustinianus in dictae *Nouellae XVIII. c. 6.* aequalitatem inter liberos obtinere velit, omnibus, quae prius de collationibus

sancita erant, *in sua virtute manentibus*, saluum est ius  
vetus contemplatione parentum. Cui sententiae con-  
sentientem habemus *Illustr. BOEHMERUM Consulta-  
tionum T. II. Decisione 656. n. 20.*

## §. XII.

*An a Collate-  
ralibus?*

MVLTO minus autem collationem exigimus a  
Cognatis lineaे transuersae, fratribus puta et sorori-  
bus, patruis aut amitis, auunculis aut materteris, ra-  
tione eorum, quae quis a cognato defuncto inter  
viuos acceperit, resistente quippe et hic Edicto per-  
petuo, quo *soli liberi* conferre coguntur, cum con-  
tra cognatis quoque, perinde ut parentibus, nihil,  
vice mutua conferatur. Nam cum pari Iure omnes  
ad bonorum possessionem admittantur, et neuter alterum  
incommodo adficiat, superuacua est collatio,  
*L. i. §. 5. D. de Collatione bonorum L. i. §. 13. D. de Con-  
iungendis cum emancipato liberis eius.* Quare constat,  
a forore dotem, quam frater ei dederit non conferri,  
sive cum fratre, sive cum fratris liberis concurrat. Pla-  
ne, si manifeste iniquum sit, parentes vel cognatos non  
conferre, officio iudicis locus esse videri possit in Arbit-  
rio diuidundae hereditatis. Verum cum arbiter fa-  
miliae herciscundae in *L. 16. C. Familide herciscundae,*  
*Iuris auctoritatem, in L. 18. C. eod.* autem *Principum Re-  
scripta* sequi iubatur, Iure scripto sane benignior  
esse nequit. De extraneis, qui defuncto nullo co-  
gnationis vinculo iunguntur, dicere parum attinet.

Sua

Sua enim sponte appareret, collationem eos neque facere iuberi, neque petere posse, cum vtrumque vel a parentibus et cognatis alienum sit. Quamobrem si femina extranea dotem a defuncto acceperit, deinde cum liberis eius heres ab eo instituta sit, dos haec minime conferenda erit, et contra filia, cui dos promissa, si cum femina extranea heres scripta sit, dotem, neglecta collatione, tanquam aes alienum deducet. Quod et eo casu iuris est, quo filia, quae extraneum heredem scripsit, dotem conferre tenebatur; nam vel sic heres extraneus ex persona filiae dotem lucrabitur neque eam conferre cogetur.

### §. XIII.

EXTRANE A tamen et vxor est, quae nihilominus confert vi *Nouellae LIII. c. 6.* Iubetur enim ibi vxor inops, indotata portionem quartam capiens ex bonis mariti, legatum quod minus sit quarta parte conferre: quarta autem non excedere debet quantitatem centum librarum auri, *Nouella CXVII. c. 5.* Efficiebant earum singulae, quod in transitu dictum sit, *LXXII. solidos, L. 5. C. de Susceptoribus, Praepositis et Arcariis,* de quibus Solidis conferatur *HOTMANVS de Aureo Iustinianico, Operum T. III. p. 678.* DV CANGE de Imperatorum Constantinopolitanorum summisatibus §. *LXXVI. et I. FR. GRONOVIUS de pecunia veteri L. II. c. 5.* Fuit haec computandi ratio dudum ante Iustinianum recepta. Sic enim Imperatores Arcadius et Honorius

24 DE COLLATIONE BONORVM.

rius in L. i. C. de Cupressis, in XI. si quis Daphnensis luci in Syria vel Perseis in Aegypto arbores comparauerit, quinque libris auri multandum eum statuunt. Restrinxerunt autem superius beneficium succedendi et conferringi multi ad solam vxorem, marito contra id negantes quia in Nouellae CXVII. c. 5. quo huic quartae nouus modus praescribitur, non tantum vxoris solius mentio fit, sed etiam in fine eius diserte adiicitur, *Virum enim in talibus casibus querit secundum priorem nostram legem ex substantia mulieris accipere, modis omnibus prohibemus.* Sed cum Nouellae LIII. c. 6. in fine priorem sanctiōnem diserte ad maritum porrigit, et omnis diuersitatis ratio deficiat, recte duplex species capitis quinti separatur, et quum prior ad mulierem inopem superstitem, posterior ad mulierem a marito iniuste exceptam pertineat, ad hanc non ad illam verba adducta referuntur: quam cauissam argumentis, ex ipsis Nouellarum fontibus ductis contra Wissenbachium perorauit HUBERVUS Praelect. ad Institut. titulo de Successione ab intestato secundum Nouellam CXVIII.

§. XIV.

*Collatio etiam ab hereditibus peti-  
tur.*

TANDEM illud hic monuisse operae pretium fuerit, collationem bonorum vniuersim etiam ab hereditibus eorum peti, qui eam superstites facere cogebantur, siue hi sui sint, siue extranei, quemadmodum vice versa heredes similiter omnes eorum petere eam possunt, qui ipsi eius petendi ius habuissent.

L. l. §. 8.

*L. 1. §. 8. et L. 2. pr. D. de Collatione bonorum, L. 14. C. de Collationibus*, modo tempore mortis defunctus in cuius locum succedunt, hereditatem iam adquisuerit, quod vel adeundo, vel pro herede gerendo fit, solis exceptis Descendentibus, utpote qui hereditatem etiam non aditam ad heredes transmittunt, *L. 3. C. de Iure deliberandi.*

## §. XV.

POSTHAECD

in L. II. D. eod.

*Paullus respondit, ea quae post mortem patris filio reddi debuerunt, emancipatum filium, quamvis prius consequitus sit, quam deberentur, fratri, qui in potestate patris relictus est, conferre non debere: cum post mortem patris non tam ex donatione quam ex causa debiti ea possidere videatur.*

*Ea tantum conferuntur, quae quis a viuis parentibus accepit.*

Ex quo Paulli Responso recte haec regula dicitur, Eum, a quo collatio petitur, rem conferendam a patre viuo accepisse debere: alias collationi locum non esse. Vnde cessat Collatio I. in Legatis, *L. 4. D. de Dotis collatione*, quod etiam tunc verum videtur, quum parentes liberis dotem vel donationem propter nuptias legauerunt: nam quia utraque post mortem patris praestanda est, cessat collatio. Legatorum autem nomine etiam Praelegata et Praecipuum, quod liberis a parentibus in testamento, vel codicillis relinquitur,

D

comple-

## 26 DE COLLATIONE BONORVM.

complectimur, idque eo magis; quod hoc genus liberalitatis suapte natura ideo relinquitur, ut ne conferatur. Ex eadem ratione cessat II. collatio in iis, quae liberis relicta sunt per *Fideicommissum L. 1. §. 19. D. de Collatione bonorum. L. 10. C. de Collationibus.* Quae *L. 1. §. 19. D. de Collatione bonorum* elegantis est disquisitionis. Quum enim in praecedente §. 18. Vlpianus dixisset, *Si emancipato legatum fuerit, cum pater morietur, etiam haec conferre debet, mox subiicit laudato §. 19.* Si ab ipso patre herede instituto filio eius fideicommissum fuerit relictum, cum morietur, an id conferendum est, quoniam virile est hoc Fideicommissum? et cueniet, ut pro eo habeatur, atque si post mortem patris relictum fuisset, nec cogetur hic conferre, quia moriente eo eius non fuisset. Quur enim conferri placuit Legata, non conferri Fideicomissa, et si eodem modo relicta? Quia Vlpianus Legata adhuc stricte aestimat, quod ea nondum Fideicommissis exaequata essent, utpote, quae exaequatio a Iustiniano demum facta, in *L. 2. C. Communis de Legatis et Fideicommissis,* et stricta ratione loquendi, momentum moriendi adhuc vijiae tribuitur, propterea, quod viuentes morimur, et mors, si non semel tota est, non est. *L. 18. §. 1. D. de Manumissis testamento. CIVITATIVS Observationum L. III. c. 34.* cum in Fideicommissis superiorum interpretationis subtilitatem negligat, quia haec laxe semper et benigne accepta sunt, et populari sensu pro mortuo habetur moriens. Cessat porro III. Collatio etiam in *moris causa Donatione,*

L. 13.

L. 13. C. de Collationibus, quia a mortis conditione suspenditur, cuius eventus non nisi post fata donatoris existere potest.

### §. XVI.

ALII regulae occasionem praebet Vlpianus in

#### L. 1. §. 9. D. de Dotis collatione.

*Si emancipatus, inquit, filius, qui contra tabulas honorum possessionem acceperit, filiam dota tam habeat, non debet dotem eius conferre, quia in bonis eius non est.*

Res confe-  
renda eo  
tempore,  
quo de col-

latione qua-  
ritur, in Bo-  
nis esse de-  
bet.

Dos filiae a filio emancipato data pars esse desit filii bonorum. Nam mariti facta est et ideo non conferatur. Quod exemplum praefstat regulae, quia is a quo collatio petitur rem conferendam eo tempore, quo de collatione quaeritur, in bonis habere debet: et si interdum sufficiat actionem conferri, quae ei in rem talenti competit, et vel nondum mota est, vel mota iuris effectu caruit, Nouella XCVII. c. 6. Igitur conferenda est res adhuc existens, non intercepta, aut quae desit esse in rerum natura, modo absque dolo vel culpa amissa sit, L. 2. §. 2. D. de Collatione bonorum, Nouella XCVII. c. 6. Dolus contra et culpa pro possessione sunt, L. 1. §. 23. L. 5. §. 3 D. de Collatione bonorum. Nouella XCVII. c. 6. etiam si iniquo lucro inhians filius spe sua frustratus sit. Quod si damnum, quo de quaeritur, omittendo contigerit, veluti si filius, heredita-

## 28 DE COLLATIONE BONORVM.

tem repudiauerit, vel legatum non agnouerit, nihil eo nomine praestatur; per L. i. §. 23. *D. de Collatione bonorum et L. 134. D. de Regulis Iuris.* Et bene est, quod in Lege Aquilia perinde id seruatur, etsi in ea vel culpa leuissima praestanda sit. Nam qui agrum non proscindit, qui vites non subserit et aquarum ductus corrumpi patitur, ea lege non tenetur, L. 13. §. 2. *D. de Vsi fructu.* Sed quod genus culpare praestandum erit ab eo, qui conferre tenetur? Latane sola contenti erimus, quam ne discinctis quidem hominibus remittimus? Imo leuem etiam sarciri postulamus, quia actio Familiae Herciscundae est iudicium bonaे fidei, §. 28. *I. de Actionibus.* Superioribus consequenter si filius rem acceptam bona fide alienauit, et pecuniam inde coactam rebus necessariis vel utilibus impendit, veluti si domum vel horreum exstruxit, et haec ignibus coelestibus absunta sunt, a collatione liberatur. Quodsi contra locupletior factus sit, veluti alienando, vel permutando pretium conferre cogetur. Tamdiu autem locupletior factus esse censetur, quandiu alia ei bona suppetunt. Haec enim seruauit, dum rem acceptam alienaret, et siuum alienando negotium ges- sit. Vsurae vero cum fructibus non aliter conferendaе sunt, quam si mora post mortem defuncti admis- sa sit, L. 5. §. 1. *D. de Dotis collatione.* Ad quam moram contrahendam tamen interpellatio requiritur, et ciuiles videbimur, si eam tunc demum factam dicamus, quando dies a iudice collationi dictus est.

Casum

Casum duplarem rei iudicatae quo a tempore diuisions facienda demum vsurae addictae fuerint, habet **HVERVS Praelectionum ad Pandectas titulo de collatione bonorum §. 6.**

### §. XVII.

**NVNC** de dote conferenda, vel non conferenda differet Vlpianus in

#### L. 3. D. de Dotis collatione.

*Si filia, inquit, fuerit heres instituta collatione dotis non fungetur. Vnde si, commissio ab altero Edicto, necesse habuerit, contra tabulas bonorum possessionem accipere, dicendum est, quoniam nullam iniuriam fratri facit, non debere eam dotem conferre, nam, quod habuit ex iudicio, conuertitur ad contra tabulas bonorum possessionem.*

*De Collatio-  
ne Dotis et  
Donationis  
propter au-  
ptias.*

Filiam, quae ab intestato patri heres sit, conferre dotem oportet, L. 1. §. 1. D. de Dotis collatione, quia pater eam iuris necessitate praestare cogitur oneribus matrimonii tolerandis, in qua legis dispositione presumtio liberalitatis cessat. Aliud hoc loco obtinet, filia si heres fuerit *instituta*, quia tum propter institutionem omnia patris bona filiae post mortem reddi debuerunt, et quae eius generis sunt, in iis collatio cessat, L. II. D. de Collatione bonorum. Exceptio est, nisi res redierit ad causam intestati, veluti, si editum ab alio commissum sit, quod sit, quando frater emancipatus bonorum possessionem contra tabulas petit et obtinet: tunc

D 3

enim

## 30 DE COLLATIONE BONORVM.

enim ob emancipati petitionem, ipsa quoque necesse habet honorum possessionem accipere. Iure nouo et testato et intestato mortuo defuncto dotis collatorium demum cessat, si testator diserte eam fieri vetuerit, *Nouella XVIII. c. 6.* *Authentica ex testamento C. de Collationibus.* Confertur autem dos non solum reapse data, sed etiam promissa *L. 1. §. 1. 7. et 8. D. de Dotis Collatione, L. 2. et 17. C. de Collationibus*, quod expeditissime fit remissione actionis. Fructus autem vel usurae dotis non conferuntur, quia dos ad ferenda matrimonii onera datur, et omnis inde nata utilitas rei familiari impensa censetur. Vnde etiam maritus ipse usurae morae a patre petere potest, si dos promissa iusto tempore non fuerit soluta, *L. 2. C. de Dotis promissione, L. vlt. §. 2. in fine C. de Iure dotum.* Porro, ut dos, sic etiam augmentum eius conferendum est, quo etiam referri possunt vestes pretiosiores filiae a patre datae. *L. 6. D. de Alimentis legatis, L. 43. 44. D. de V. S. et earum exemplo mundus muliebris, monilia et armillae.* Dantur enim haec vxoribus ut magis maritis placeant. Vice dotis filiae datae filius confert donationem propter nuptias, quam, ex patris bonis, cum sponsus, vel iam maritus esset sponsae uxoriue fecit in securitatem dotis, *L. 29. C. de Inofficio testamento, L. vlt. C. de Dotis promissione, L. 17. 19. et 20. §. 1. C. de Collationibus,* quae enim inuidia est, liberalitatem a patre in filium profectam, in diuisione paternae hereditatis perinde conserri, ac a filia conseritur dos e re patris profecta?

Colla-

Collationis igitur contemplatione doti similis videatur donatio propter nuptias , ita , vt quod de fructibus et usuris et augmento dotis dictum est, etiam de fructibus et usuris et augmento donationis propter nuptias dicendum videatur. Quid , si pater ad conciliandum liberis nobilioris personae matrimonium xenia vel mercedem praestiterit, anne et haec dotis vel donationis propter nuptias pars videbuntur ? Distinguendum videtur, vt si sponso , vel sponsae ipsis data sint dona , quo magis amor incalesceret , doti accenseantur , et donationi propter nuptias : contra si ambitibus vel ambitricibus ea pater praebuerit, conferenda non sint, quia simpliciter donata.

## §. XVIII.

DOTI et donationi propter nuptias fororio vinculo cohaeret Arrha et earundem exemplo quoque confertur , modo vel lucrum ex eius datione natum supersit , veluti quod arrha ab altera parte vice mutua data ; vel repeti possit , veluti nuptiis non infecutis; vel per culpam amissa sit , veluti quod is , qui arrham dedit , nuptias deinde contrahere sine iusta causa detrectet : cum damnum , quod quis negligenter sua sentit sentire non videatur. Arrham , in quam plurimis imitatur Largitas Sponsalitiae , nisi , quod , si mors infecuta sit largitatem Sponsalitiam , nobilis est distinctio , qua Constantinus Imperator viratur in

L. 16.

*De Collatione  
Arrhae et  
Sponsalitiae  
largitatis.*

## L. 16. C. de Donationibus ante nuptias.

Si a Sponso, inquit, rebus sponsae donatis interueniente osculo, ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, atmidiam partem rerum donatarum ad superfitem pertinere praeципimus, dimidiam ad defuncti vel defunctae heredes, cuiuslibet gradus sint, et quoconque iure successerint: ut donatio stare pro parte dimidia et resoluti pro parte dimidia videatur. Osculo vero non interueniente, siue sponsus, siue sponsa obierit, totam infirmari donationem, et donatori sponso vel heredibus eius restitui. Quod si sponsa interueniente, vel non interueniente osculo donationis titulo (quod raro accedit) fuerit aliquid sponsi largita et ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, omni donatione infirmata, ad donatricem sponsam siue eius successores donatarum rerum dominium transferatur.

Distinguitur in hac lege primo, an osculum interuenerit, nec ne: tum inter largitatem a sponso et a sponsa factam. Si osculum interuenerit, et a sponso largitas facta sit, id quod a parentibus eius nomine ipsius datum est, pro parte dimidia reddit, et proinde pro parte dimidia conferendum est, siue id sponsus iam recuperauerit a sponsae defunctae heredibus, siue is sibi pepercerit, quo minus datam repeteret. Quod si osculum non interuenerit, tota largitas reuertitur, et tota conferenda est. In largitate vero a sponsa facta, siue osculum interuene-

teruenerit, siue non interuenerit mortuo sponso, vel sponsa donatio tota infirmatur. Priori distinctioni ratione osculi dati vel non dati locum hodie superesse negat LYNCKERVS *Resolutione CCLXXXVI.* quia hodie oscula frequenter folius vrbanitatis, officii et salutationis caussa dentur: sed haec ratio transfigendi de Iure certo nobis non est ad palatum. Caussa dissentiendo est, quod haec oscula vrbanitatis, officii et salutationis caussa interuenientia, non cum nostris demum temporibus cooperunt, contra fuerunt ea semper, et semper, ut hodie probe distingui potuerunt ab osculo testandi amoris sponsalitii caussa dato, quod ut olim a sponso sponsae post sponsalia saepe figebatur, sic hodie plerumque non intermittitur. Postremis tamen temporibus, in Iurisprudentia Romano - Graeca cadente, pro osculo Benedictio Sacerdotalis et Serti impositionis Sponsalibus adhibita fuisse, saltem osculo accessisse videtur. Quo pertinet §. 10. *Tituli de Sponsalibus in ECLOGIS iussi Leonis et Constantini scriptis, quarum Codex Manuscriptus, nondum editus custoditur in Bibliotheca Illustris Senatus Lipsiensis:* Οταν μέντοι, inquiunt Caesares, τῆς μητέλας γεγενημένης ἔσωθεν τοῦ τρικαιδευτῶν χρόνου τλάοι τις τοῖς μητευσαμένοις ή τὴν λεγομένην ἐνλόγησιν ή τὸ σεφάνωμα περιθεῖναι, ὡς τὰν θέιαν νόμων παρεβαθέντων ἀντία ή μὲν προελθόντα μητέλα ἀμα τῇ διαλυόντῃ συναφέια διαλύεται. Si quis autem

34 DE COLLATIONE BONORVM.

tem dictis Sponsalibus intra aetatem tredecim annorum factis audeat, Sponsis sic dictam Benedictiōnem sacerdotalem, aut Sertum dare, tanquam violatis Diualibus Constitutionibus statim haec festinata sponsalia, una cum dissolvente eas copula hac soluntur. Qui locus indicio est, tam sponsum, quam sponsam, hanc in Virginitatis, illum in Imperii signum solitos

*Praecingi roseo tempora vinculo,*

vel quacunque alia corona. Formulam quae simul recitabatur exhibit Iacobus GOARVS ad Εὐχολόγιον Graecorum Editionis Venetae pag. 324. Ετέφεται ὁ δῶν λαργὸς τοῦ θεοῦ, ὁ δεῖνα τὴν δόυλην τοῦ θεοῦ τήνδε: ἔις τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἀγίου πνεύματος. Coronatur seruus Dei N. propter ancillam Dei N. in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Quo paſto deinde etiam semina coronabatur. Quod et in Latina Ecclesia uſitatum fuit. Preces enim, quibus coronae et annulo benedictum fuit, habet Laurentius PIGNORIVS in Symbolis Epistolicis, epift. 19. et desponsationis per manus Cardinalium factae et osculo confirmatae in Sponsalibus Imperatoris Ottonis IV, mentionem facit Otto de S. Blasio Chronicus cap. LI. His omnibus, inquit, Rege obedienti: puella iam nubilis a Duce Leopoldo orientali et Ludouico Duce Bauariae adducta, tribunali ſtituitur, ac de consenſu interrogata, verecundata admodum, rubore perfusa ſe libenti animo consentire proficit.

profittetur. Mox a Duce Leopoldo orientali cognato suo, per manus Cardinalium legem Francorum, Regi Ottoni de-sponsatur, a quo amantissime amplexata publici signo oscu-li, mutationeque annularum subari hatur: tractatisque di-versis regni negotiis, a curia digreduntur, reginaque Sa-xoniam perduta, apud Brunswicli aliquandiu mansura collocatur. Aliud memorabile exemplum obseruatae legis habet R VF F I, *Histoire de Marseille Tom. II. p. 391.* Le Fiancé, inquit, donnoit ordinairement cet annneau à sa Fiancée le jour des fiançailles et lui faisoit encore quelque présent considérable en reconnaissance du baiser qu'il lui don-noit. En effet, Fulco, Vicomte de Marseille fit donation l'an 1005. à Odile sa fiancée pour le prenier baiser, de tout le domaine qu'il avoit aux terres de Sixfours, de Cire-ste, de Soliers, de Cuges, et d'Olieres. Cet usage estoit fon-dé à ce que j'estime sur la loi 16. Si a Sponso, qui ordonoit que lorsque le mariage n'avoit pas son effet, la fiancée ga-gnoit la moitié des présens qu'elle avoit reçù du fiancé, car les anciens croioient, que la pureté d'une fille étoit flétrie par un seul baiser.

## §. XIX.

**E**XEMPLI Dotis et Donationis propter nuptias conferenda viderunt cunctis donationis ob causam. Sim-plices enim donationes non conferri, infra plenius di-cetur. Eo referimus Subsidia paterna, a. L. 17. C. de Collationibus, in fine, veluti si pater liberis annuatim quantitateam praestiterit ad commodius toleranda ma-

De Collatio-ne Donatio-nis ob caus-am.

## 36 DE COLLATIONE BONORVM.

trimonii onera. Talis porro donatio ob caussam fit, quando quis liberis certam quantitatem eo nomine praebet, ut ipsi vice mutua alimenta praestentur. Conferenda enim est donatio haec, si ipsi alimenta deinde negata fuerint. Similis est multa, quam pater pro filio qui deliquit, soluit, quia delicta ossibus personarum, quae deliquerunt, inhaerent, et iniquum esset, portionem fratri innocentis nocentis delicto minui. Neque minus filius id conferre tenetur, quod pater ex Fideiussione pro eo soluit, cum et huic praestationi sonica caussa subsit, *L. 18. in fine D. de Adimendis legatis.* Iusta quoque caussa subesse videtur, si filio aliquid datum sit in rationes hereditarias paternas, aut si Praebenda ei emta fuerit, vel Beneficium Ecclesiasticum, utique si aestimabile id sit ac alienabile. Deinde lucrum omne, quod filius ex re paterna fecerit hoc titulo continebitur, veluti si aucta sit res filii sine labore vel industria eius, ex sponsione vel alia fortunae alea. Quo etiam referimus, quod filius patri amouit vel subduxit: cum Ius nullum ad iuuandam hominum improbitatem comparatum sit. Contra si ex operis filii vel artificio eiusdem nata sit utilitas, conferri eam non oportet, quia filius patri non debet operas artificiales, *L. 3. pr. L. 5. et 7. pr. D. de operis libertorum.* In subducendis autem rationibus eius, quod filii opera, vel sine ea quaesitum sit, res omnis in arbitrio iudicis posita est. Quodsi nulla ratione constare possit, ex quo fonte manauerit lucrum illud,

de

de quo quaeritur, pro possidente pronunciandum erit.

## §. XX.

ACCEDAMVS nunc proprius ad Ius nouum et *De Collatio-*  
de Collatione; quae fit per Remissionem *ne quae sit*  
haec verba *per Remis-*  
*sionem.*

*L. 5. C. de Collationibus.*

*Dotis quidem petitio perseverante matrimonio tibi non competebat: quanvis enim intestato patre defuncto fratri conferre debueras; nos tamen eo nomine aduersus maritum tibi actio potuit esse: cum eo minus in partem tibi delatae successionis patris auferre potueris.*

Rescrit Imperator Gordianus, collationem etiam fieri posse accepta ex hereditate paterna parte tanti minore, quanta conferri debebat: quae computatio ex rationibus eius temporis facienda est, quo de hereditate eius, a quo bona conferenda profecta sunt, quaeritur. Facienda vero collatio in primis Re. Sufficit tamen pretium conferri si res conferenda sit species venditionis causa aestimata, *a L. 5. et 10. C. de Iure dotum.* Itaque verbi gratia, si ea, cui mille Aureorum praedium dotti datum est, pretium praedii ante collationem ita auxerit, ut illud iam sit mille et quingentorum, nihil id coheredibus prodest. Ex diuerso, si ante collationem faciendam in tantum decreuerint bona, vt non

E 3 amplius

## 38 DE COLLATIONE BONORVM.

amplius quam octingentorum Aureorum substantia, vel etiam minus relinquatur, eadem adhuc mille conferenda sunt, neque audienda est filia praedium ipsuni conferre volens. Quodsi contra res fungibles datae sint, sufficit, tantundem conferri; aut certe tamdiu exspectari, donec reliqui coheredes eandem quantitatem percepent. Ceterum etsi collationis facienda tempore data res fungibilis maioris vel minoris pretii sit, eadem tamen quam accepit quantitate defungitur collator, et proinde neque plus praestat, si nunc sit maioris, neque minus, si minoris pretii fuerit. Quod si eadem aestimata data sit, secundum factam aestimationem restitutio facienda est. Sed finge, datam esse pecuniam aestimatam, cuius deinde valor imminutus sit. Adtendendum erit indistincte ad tempus negotii, inter patrem et filium gesti, L. 2. C. de veteris numismatis potestate, ita, ut collator id quod deest supplere cogatur. Quae sententia etiam in Camera Imperii recepta est. Videatur GAILIVS L. II. Obseru.

73. MYNSINGERVS Centur. IV. Obseru. i. et in Saxonia Partis II. Constitutione 28. approbata: neque in Mutuo, Venditione aliquis contractibus tantum obtinet, sed etiam in Collationibus, testante CARPOZIO definitione 7. ad d. Constitutionem, ubi etiam sententiam Dnn. Scabinorum Lipsiensium secundum superiora scriptam exhibit. Quodsi taxationis tantum causa aestimata fuerit res conferenda, vel plane sine aestimatione data sit, quaeritur, an res ipsa conferenda sit, vel contra

contra satis sit, conferri aestimationem? et verior est sententia existimantium, sp̄cies ipsas conferendas esse, neque admitti pretii solutionem, quia in hereditatis etiam diuisione ipsa corpora, quae in bonis parentum manserunt diuisioni subiiciuntur. Satis tamen erit, rem talem conferri, qualis sit tempore collationis sciendae, modo dolo culpaue collatoris non fuerit deteriorata.

### §. XXI.

SIMILITER collationi speciei locus non est, si *De Collatio-*  
*res conferenda diuidi, aut a ceteris coheredibus possi-*  
*deri nequit, quales sunt Militiae, quo nomine veniunt*  
*functiones omnes certos redditus e publico aerario tra-*  
*hentes, quae apud veteres in commercio erant, ven-*  
*dique, emi, legari et hypothecae subiici poterant, L.*  
*102. §. vlt. D. de legat. III. Clarae inter has *militiae**  
**ex casu*, quarum mentio in *Nouella LIII. c. V. §. 1.**  
*Scripsit de his Militiis ex casu LAELIVS TAVRELLVS,*  
*cuius Opusculum in *Thesauri Ottoniani T. IV. col. 1631.**  
*legitur et putat, militiae ex casu nomine insigniri offi-*  
*cium transmissibile, et quod in alium transferri li-*  
*ceat ex necessaria caufa per fortuitum casum im-*  
*minente. Quid, si nomine Militiarum ex casu in-*  
*telligamus Exspectantias? Quir enim rem vtilitate*  
*sua commendabilem et hodie vbius obuiam, veteri-*  
*bus incognitam putemus, cum ei ad amissim respon-*  
*deat nomen. Feuda sane ab his Militiis originem*  
*traxiff.*

## 40 DE COLLATIONE BONORVM.

traxisse, ex decantatissimo loco LAMPRIDI<sup>II</sup> *in vita Alexandri c. LVIII.* ante hos ducentos annos in dicto opusculo Taurellus monuit, quam sententiam nostra aetate plenius executus est, GVNDLINGIVS Gundlingianorum P. I. art. i. Videantur igitur Exspectantiae etiam veteribus cognitae, et si nomine eorum primus usus esse feratur INTERPRES Latinus, Speculi Saxonici, L. I. art. 33. Posthumus, inquit, hic sui patris hereditatem obtinebit, qui, si posthac moriatur, in matrem suam eam transfert, si ipsa ei in generatione poterit coequari, et infringit omnem in patris Feudo exspectantiam feudalem et tunc Feuda ad dominum reuertuntur, quia puer humanus et viuus post patris mortem apparebat. Verum instas, in Nouella LIII. de Militia ex casu Hypothecae subiecta agi, Exspectantiam autem, utpote rem incerti eventus non videri negotium Hypothecae admodum habile. Verum inde est, quod Iustinianus eam hypothecae subiici huic demum permittit, qui ad hoc ipsum mutuum dedit, ut haec Exspectantia emeretur; eo exitu, ut vel is, qui eam emat, ea fruatur, vel si mutuum reddere detrectet, is qui ad emendam eam creditit, si emtori eam pretii partem quae mutuum excedat, praestiterit. In Collatione igitur Militiae, et rationis similitudine in collocatione Praebendae et Beneficii Ecclesiastici contenti erimus aestimatione, facta ex tempore mortis paterna, ut quanti tum vendi possint, non quanti patri constiterint conferantur, L. 20. pr. D. de Collationibus. Addimus generale tempe-

temperamentum, vi cuius Collator nunquam corpus rei acceptae conferre tenetur, si, ferente id conditione hereditatis, paratus sit pati, vt singuli reliquorum coheredum tantundem eiusdem generis et qualitatis deducant, quantum ipsi a defuncto datum. In re autem fungibili aliud pro alio reddi nequit, veluti frumentum pro pecunia: vnde is cui collatio facienda, multo minus cogitur, vt praedia, vel agros aut vineas conferri sinat, etiam si hi ea pecunia emti sint, cuius collatio petitur. Multo minus adigendus erit coheres, vt in annuam, bimam, trimam diem sibi assignari patiatur quantitatem conferendam, et interea paratam pecuniam cum eo, qui conferre debet, diuidat. Ceterum quando in his casibus pretium confertur, res non ex tempore emtionis, neque ex tempore mortis defuncti, sed ex tempore collationis facienda aestimatur.

### §. XXII.

SED inhaeret interdum, imo saepe rei conferenda aes alienum. Quid igitur eius contemplatione factum opus erit? Distinguendum putamus, vtrum hoc aes alienum rei conferendae iam inhaeserit eo tempore, quo collatori data est, et imputabitur id hereditati; an deinde contra dictum fuerit, et non imputabitur, modo contra dictum non sit ex necessitate: sic enim adhuc imputari patiemur, quia ei, a quo collatio petitur, integrum fuit rem datam etiam bona fide confundere,

F

mere,

*De oneribus  
rei conferen-  
dae inhae-  
rentibus.*

## 42 DE COLLATIONE BONORVM.

mere, et cessat collatio, si heres, consumta re inde non  
sit factus locupletior, *L. i. §. 23. D. de Collatione bonorum.*  
Ratione impensarum in rem conferendam factarum,  
refert, fitne ea res dotalis, an non dotalis, et si quidem  
dotalis sit, maritus impensas fructuum, et quae  
tuendae rei factae sunt, perinde, ut onera dotalia cum  
fructibus compensare, adeoque ipse ferre debet. Quod  
etiam de impensis modicis in rem ipsam factis dicen-  
dum est, etsi necessariae fuerint, *L. 7. §. 2. D. de Vſu*  
*fructu, vnde harum impensarum cauſa rei dotali confe-*  
*rendae nihil deduci potest. Impensae rei magnae ne-*  
*cessariae contra, quas maritus aut et vxor ipsa in rem*  
*dotali fecit, dotem utique ipso iure minuant, ita,*  
*ut retineri possit res dotalis, donec hae impensae resti-*  
*tutiae fuerint. Vnde patet, filiam, si maritus eius ae-*  
*des doti datas et deinde exustas instaurauerit, nihil con-*  
*ferre praeter aream: nisi parati sint coheredes impen-*  
*sas instauracionis ferre. Aestimantur autem hae im-*  
*pensae maiores, necessitate cogente factae, ex tempo-*  
*re, quo factae sunt, et, si res dotalis iam fuerit tradi-*  
*ta, Conditio indebiti repeti possunt, *L. 5. §. 2. L. 12.**  
*D. de Impensis in res dotales factis, L. 7. §. vii. D. Solutio*  
*matrimonio. Impensas utiles et delicatas maritus ab*  
*vxore repetit: *L. vn. §. 5. C. de Rei vxoriae actione,* qua-*  
*re et hae a filia in collatione deducuntur. In impen-*  
*sis contra voluptariis marito nihil conceditur, quam ut*  
*eas tollat, modo ablatio ipsi prodeſſe et sine detrimen-*  
*to rei fieri possit, *L. 9. D. de Impensis in rem dotali-**  
*factis*

factis, d. L. vn. §. 5. C. de rei uxoriae actione, vnde manifestum, neque earum deductioni in collatione locum esse. Vidimus de re dotali. Iam, si res conferenda res non dotalis sit, in eamque ab eo, a quo collatio petitur, impensae factae sint, conferenda est cum sua causa et onere, id est deductis abscede impensis in eam factis, BRVNNERVS de Collatione honorum c. 5. n. 94. Utile autem est, si de data re conferenda constet, circumspici, anne consignatio quaedam datorum facta a patre superfit, huic enim, si praesto, eaque fini conscripta sit, ut post mortem patris pro norma collationis fungatur, fides adhibenda est, cum propter pietatem, qua parentes prosequi liberos suos solent, tum propter reuerentiam, quae iis a liberis debetur. Aliud dicendum, si annotatio patris obiter tantum facta fuerit, aut propter obscuritatem, vel ambiguitatem dubia videatur, aut vnum vel alterum eius caput manifeste falsum sit. Quodsi tandem vel nulla vel imperfecta tantum consignatio inueniatur, et tamen constet, eum, a quo collatio petitur, conferendum aliquid accepisse, quod et quantum acceperit iureiurando indicare cogitur, modo scientiam rei habeat, CARPZOVIVS P. III. Constitut. XI. D. 29. et P. III. Constitut. XX. D. 9. §. 8. MEVIVS P. IV. Decisione 232. In re promissa autem conferens coheredibus obligationem remittit, qua hic pro portionibus hereditariis ad eam soluendam tenebantur.

## §. XXIII.

*De Actionibus,  
quibus  
Collatio pe-  
titur.*

PERGIMVS ad A&tiones, quibus Collatio peti-  
tur, quo maxime pertinet

*L. 8. C. de Collationibus.*

*Si soror tua, inquit Imperatores Diocletianus et Maximianus, in paternorum bonorum diuisione te feſellit; nec dotem, quam acceperat a patre veftro intestato diem functo, contulit: Praefes Prouinciae examinatis partium allegationibus cum bonis dotem confundi iubebit, et quod deducta ratione plus apud eam esse animaduerterit, tibi refitui iubebit. Idem eff, et si arbitrio dato diuisione celebrata eſt.*

Exitus Collationis eſt, vt postquam conferens rem conferendam contribuerit, reliquis ea rebus hereditariis misceatur et deinde tota substantia inter conferentem et coheredes aequaliter diuidatur. Quibus vero id actionibus effici possit, hoc loco indicandum eſt. Actio igitur princeps, qua collatio petitur, Iudicium Familiae herciscundae eſſe videtur, vtpote in qua de hereditatis diuisione cuius partem faciunt ea, quae conferenda ſunt, agitur. Hodie tamen quaevis imploratio officio iudicis ſufficit, quod eſt ex Iure Canonicō, quo iudicia erant penes personas Ecclesiasticas, quae praecipue aequitatis rationem habere cenebantur, ſi quis implorasset officium earum. Fit ea, quando collatio a coherede eam detrectante ante diuisionem petitur.

petitur. Iudicis autem officium multae dictione, pignorum capione et similibus contumaciam coercendi modis sese exserit. Actioni Familiae herciscundae vulgo subiicitur Conditio indebiti, aut conditio ex lege, nimirum 3. C. Communia utriusque iudicij, ad inaequalem divisionem reformandam, et cui tum in primis locus esse dicitur, quando in divisione iam facta collatio errore aut dolo eius, a quo facienda erat, intermissa est. Sed docet lex nostra, et hoc casu sufficere Iudicium Familiae herciscundae. Indicant enim Imperatores, adhuc arbitrum datum fuisse, si in facta divisione dolo sororis dos collata non sit. Errare vel dolo autem aequalitas neglecta esse debet, quia si heres sciens eam spreuerit, tanquam a donante remissa videtur. Quodsi cautio interposita sit, et ea deinde committatur, Conditio ex stipulatu locus est. Eliditur autem Actio Familiae herciscundae I. Exceptione remissae in testamento paterno collationis, L. 16. C. de Collationibus, Nouella XVIII, c. 6. Exceptione II. abstentionis ab hereditate paterna, L. vlt. D. de Dotis collatione. Exceptione III. interitus rei conferendae. Ex conuerso facile apparet, Collationem etiam per modum Exceptionis peti posse. Nam si is, qui conferre debet, Iudicio Familiae herciscundae vtatur, obiici ei potest Exceptio nondum factae collationis, quae non tantum litis ingressum impedit, sed omnes simul actiones hereditarias sistit, siue eae a defuncto in actorem transmissae sint aduersus debitores heredi-

F 3 tarios

## 46 DE COLLATIONE BONORVM.

tarios, siue aduersus excipientem competant, quales sunt actiones Familiae herciscundae, et Querela in officio testamenti, quae inhibentur, donec Actor conferre paratus sit, L. i. §. 10. et 13. D. de Collatione bonorum, L. ii. 12. 14. et 16. C. de Collationibus, ita vt, si collationem constanter detrectet, et in contumacia perseueret, tandem a iure succedendi penitus excludatur. Quae Exceptio non factae Collationis, si, vt fieri expedit, ante litem contestatam non sit opposita, deinde adhuc opponi, imo post sententiam et in ipsa execuctione vrgeri potest, ZANGERVS de Exceptionibus P. III. c. 22. et P. III. c. 26. cum contra is, qui antea renisit, ad diuisionem hereditatis admittatur, quam primum collationem fecerit.

## §. XXIV.

*Non conser-  
runtur Bo-  
na Caſtre-  
nſia et Quaſe  
Caſtreñſia.*

SED, vt cetera peragamus, fistimus

L. 12. C. de Collationibus

Fratres tui, inquiunt Imperatores Diocletianus et Maximianus, durantes in familia patris peculium, (si hoc neque caſtrenſe neque relictum doceatur) præcipuum habere non possunt, sed in diuisionem paternæ venit hereditatis: nec quicquam mutat, penes quem res ex hoc proficiscentes et in eadem cauſa durantes constitutae reperiantur.

Eximuntur his verbis Collationi peculium Caſtrenſe et Relictum, siue profeſtitum non ademtum. In caſtrenſi filius-

filiusfamilias et patrisfamilias et plenissimae potestatis  
ius habet, L. 3. C. de Castrensi pec. mil. L. 2. D. de Sena-  
tusconsulto Macedoniano. IVVENTALIS Sat. vlt. v. 51.

*Nam quae sunt parta labore  
Militiae, placuit, non esse in corpore census,  
Omne tenet cuius regimen pater.*

Pertinent autem ad hoc peculium res mobiles, quae  
eunti in militiam filio a patre matreue vel aliis propin-  
quis aut amicis militiae causa data sunt: item quae in  
castris per occasionem militiae veluti ex praeda quaesita,  
cum hereditatibus eorum, qui non alias noti esse po-  
tuerunt, nisi per militiae occasionem, etiamsi in iis  
fuerint res immobiles, L. 1. C. de Castrensi pec. mil. nam  
et praedia, quae filiofamilias occasione militiae obue-  
niunt castrensis peculii sunt, L. 4. C. Familiae herciscun-  
dae, modo filius reapse castra sequitus sit, nec consil-  
lium mutauerit et appropinquante decretorio momento  
horruerit sonitum litui et tubae, aut prefecturum re-  
tinuerit valetudo: quo casu dubium non est, quin fi-  
lius ad collationem teneatur, quoniam res datae ca-  
strenses factae non sunt. Quae autem semel peculii  
castrensis esse coeperunt, adhuc qualitate eiusdem possi-  
didentur, et si militiae nuntium miserit filius et aliud vitae  
genus sequi cooperit, L. 17. §. 1. L. 19. §. 2. D. de Ca-  
strensi peculio, L. vlt. pr. C. de Inofficio testamento, pr. I.  
*Quibus non est permisum facere testamentum.* Amplius  
huc referendum et ab onere collationis liberandum vi-  
detur

detur Lytrum, quo pater filium ab hoste redemerit, poscente fauore redemtionis, vt non repetendi, sed donandi animo per pietatem praestitum videatur, *L. 17. C. de Peſſimino reverſis.* Quodſi autem pater filium a militia redemerit, collationi locus videtur, inprimis si filius ſuo ingenio obſequens experimentum fecerit vulgati verbi, quo dulce bellum eſt inexpertis. Contra ad peculium caſtrene non pertinent **I.** Hereditas matris et propinquorum etſi ea filio tempore militiae obueniat, *L. 16. §. 1. L. 19. pr. D. L. 1. C. de Caſtrene pecul. mil.* ita, yt, quamuis diſerte ſimul mater eam caſtrenebus bonis accenſeri voluerit, ideo tamen naturam eius et qualitatem non induat, *L. 8. D. eod.* Similiter **II.** ad hoc peculium reſerri nequeunt praedia filio a patre donata, *L. 1. C. de Caſtrene pecul. mil. L. 4. C. Familiae hercifundae,* cum alia ratio fit praedii e pecunia in militia quaesita emti, vtpote quod ſuccedit in locum pretii *L. 1. C. de Caſtrene pecul. mil.* Denique **III.** res ipſa loquitur, collationem faciendam eſſe; pecuniae in militiam credendi animo a patre datae, a. *L. 50. D. Familiae hercifundae* Bonis caſtrenebus aequiparantur et eorum ſimilitudine Collationi eximuntur bona *Quasi-Caſtrene*, ſive ea, quae filius familias occione militiae Togatae acquisiuit, vtpote quae ipſa etiam a filio ple- no iure dominii tenentur: qui de iis quoque ſine patris conſenſu diſponit, et quotiescumque de eis quaeritur, etiamſi in aliena potestate conſtitutus fit, contemplatione eorum pro patrefamilias habetur, *L. 4. et 8. C. de*

*C. de Aduocatis diuersorum iudiciorum.* Pertinent eo acquisita ex patrocinio cauſarum vel professione artium liberalium, itemque donata a Principe vel Augusta,  
*L. 7. C. de Bonis quae liberis.* Ceterum hoc peculium Quasi-caſtrene haud paullo ante Iustinianum adinuentum ex *L. 52. §. 8. D. pro Socio*, recte colligit Antonius SCHVLTINGIVS *Iurisprudentiae Ante-Iustinianae p. 470.* Vnde merito refellitur BALDVINVS qui in *Iustiniano L. III.* vbiunque mentio incidit huius peculii, procaci studio emblema Triboniani ſibi deprehendere viſus eſt.

## §. XXV.

SED, Si hoc neque caſtrene, neque relictum doceatur, inquiunt Imperatores in lege noſtra et *relictū nomine intelligunt* peculium profectitum non ad-  
Neque Prof-  
etiā non  
adēmta et  
ſumtus nu-  
ptiarum.  
 emtum eoque tacite donatum, quod proinde hodie hereditati paternae inest. Affimilantur his bonis profectitiis relictis ſumtus coniuii nuptialis, quippe flueri viſi ex pietate, qua honestam matrimonii conditionem liberis quaerere boni patris eſt. Adde quod hi ſumtus tempore hereditatis diuidundae non amplius ſuperſtunt, neque liberi inde, ſi id, quod plerumque ſit, ſpectes facti ſunt locupletiores, *L. 2. §. 2. D. de Collatione bonorum, L. 6. C. de Collationibus.* Quod adeo verum eſt, vt, ſi plures patri liberi ſuperſtitores, et inter eos caelibes quidam fuerint nequidem eandem hi quantitatē petere poſſint post mortem patris nuptias

G

con-

## 50 DE COLLATIONE BONORVM.

contracturi, quam quae maioribus natu, dum nuptiae eorum fierent data sit conuiuii nuptialis caussa. Aequo enim animo a minoribus natu ferenda sunt damna, fato patentum contingentia, et ut alimentorum, quae a maioribus natu diutius, quam ab ipsis percepta fuerunt collationem exigere nequeunt, sic neque sumtuum nuptialium. Deficit autem superior obserfatio, Si I. hae impensae conuiuii nuptialis a patre dotis nomine factae fuerint, aut certe pro parte dotis fungi debuerint. Si II. liberi inde, quod raro fit, facti sint locupletiores. Exemplum *Illustr. LEYSERVUS* adducit *Meditat. ad Pandectas T.VI. Spec. CCCCXIV. n. 4.* qui sumtus conuiuii nuptialis ne tum quidem conferri obseruat n. 3. cum de portione Legitimae ceterorum liberorum quaeritur. Praeterea III. conferendi sunt sumtus conuiuii nuptialis, si eos pater diserte conferri iussit, quod tamen ex sola eorundem consignatione colligi nequit, nisi pater, sub lege se eos Collationis suppeditasse, adiecerit. Idem IV. dicendum videbitur, quando pater hos sumtus ea conditione fecit, Si sibi dona nuptialia vice mutua cederent et haec a liberis reddita non sint: tum enim iure meritoque sumtus nuptiales conferendi sunt. Quid autem de sumtibus dicemus, quibus dispensatio Principis redempta sit, cum filius aut filia nuptias in gradu prohibito contraherent? Videbitur collatio eorum non exigenda, si patre auctore suaforeque hae nuptiae factae sint, quum lucrum inde nullum liberis supersit, et patri tanquam auctori

auctori consilii res omnis imputanda sit. Contra si sibi solis indulgentes liberi tales nuptias ambierint, delicto simile videbitur admissum eorum et pecuniam pro dispensatione datam conferent in poenam violatae legis.

## §. XXVI.

SUMTVS in conuiuum nuptiale factos imitan- *Neque Al-*  
*tur Alimenta, quo referimus vitae cultum et para-*  
*tum omnem liberis necessarium, nominatim autem*  
*viectum et amictum, habitationem, lectos, medica-*  
*menta et similia a L. 5. §. 1. et 12. D. de Agnoscendis et*  
*alendis liberis, L. 8. §. 5. C. de Bonis quae liberis, ita ta-*  
*men, vt si natu maioribus res familiaris vberior a patre*  
*tributa fuerit, minores natu id, quod ea alimenta sibi*  
*praestita excedat, repetere nequeant, nisi aliud a pa-*  
*tre cautum fuerit, veluti si is natu minores 2000. ali-*  
*mentorum pleniorum, maioribus praestitorum nomi-*  
*ne praecipua habere iussit. Sed, an patri inte-*  
*grum sit filium in testamento suo damnare, vt alimen-*  
*ta conserat, quaeritur. Neget id, qui cum GROTI*  
*de Iure belli et pacis L. II. c. VII. §. IV. n. 1. debitum*  
*eorum laxius esse censuerit Iure Naturae: Sed con-*  
*uersa est voluntas praestandorum eorum Iure Ciuili in*  
*necessitatem per L. 5. pr. §. 4. 10. D. de Agnosc. et al. lib. L. 3.*  
*et 4. C. de Alend. lib. vt adeo collatio eorum filio impe-*  
*rari non possit. Quae vero alimenta filius post mor-*  
*tem patris percepit, ea omnino conserre tenetur,*

52 DE COLLATIONE BONORVM.

quum damnis accenseatur quicquid e re patris post fata eius in utilitatem filii deminutum est , L. 30. D. L. 4. C. Communi diuidendo , L. 23. D. de Regulis iuris.  
Porro

§. XXVII.

*Neque Bona  
Aduentitia  
Ordinaria.* PECVLIO Profectitio opponitur Aduentitium, quod in Ordinarium et Extraordinarium diuiditur. Iam vero expediti iuris est, neutrum a liberis conferendum esse, per

L. vlt. C. de Collationibus.

*Vt nemini, inquit Iustinianus, de cetero super collatione dubietas oriatur, necessarium duximus, Constitutioni, quam iam fauore liberorum fecimus hoc addere: ut res, quas parentibus acquireendas esse prohibuimus, nec collationi post obitum eorum inter liberos subiaceant. Vt enim castrense peculium in commune conferre in hereditate diuidenda et ex prisci iuris auctoritate minime cogebantur: ita et alias res, quae minime parentibus acquiruntur, proprias liberas manere censemus.*

Constitutionem , quam se fauore liberorum fecisse Iustinianus ait , statim exhibebimus cum de Donatione simplici differemus. Per hanc nostram bona omnia aduentitia collationi eximuntur ut indicant verba , *vt res, quas parentibus acquireendas esse, prohibuimus, nec collationi subiaceant.* Intendit enim Imperator dignum

tum ad L. 6. 7. 8. C. de Bonis quae liberis, vtpote quibus Constitutionibus ius nouum ratione peculii aduenticii introductum. Eximuntur autem bona aduentitia omnia collationi, vnde primo de iis, quae sunt peculii huius ordinarii dicemus, deinde de extraordinario. Pertinent igitur ad ordinarium Bona I. quae liberi a matre vel Adscendentibus maternis, cum intestatis, tum testatis acceperunt, et proinde non tantum Hereditas eorum, sed etiam Legata, Fideicomissa, et quotis alio largitionis titulo relictā, L. 1. et 2. C. de Bonis maternis. Eodem II. referenda est Dos, quam filius ab vxore, et Donatio propter nuptias, quam filia a marito accepit, L. 1. et 3. C. de Bonis quae liberis. Praeterea III. eodem iure censentur Dona nuptialia, siue liberalitates a propinquis et amicis tempore nuptiarum liberis praestitae, quae refe inter vtrumque coniugem diuiduntur, cum vtrique communiter datae sint. Porro IV. peculii aduenticii ordinarii collationi exemptum est quicquid filio vel filiae ex Hereditate, Legato, Fideicomisso, aliae liberalitate cognatorum, tum etiam extraneorum obuenit, perinde ut id, quod sua industria extra rem patris liberi sibi quaesierunt, L. 6. C. de Bonis quae liberis. Neque reprehendendi erimus, si V. mercedem a parentibus vel coheredibus vni pro operis praefitis datam vel promissam huic reiiciamus, in primis si hae operae non modicae sed eximiae fuerint, L. 10. D. de Obsequiis parentibus vel patrono praefundis. Amplius VI.

## 54 DE COLLATIONE BONORVM.

argumenti paritate mercedes diuisioni hereditatis subduci patiemur, etsi nullae datae vel promissae sint, modo eas exigi sinat operarum praestantia. Mercedibus quoque VII. assimilabimus donationes liberis a parentibus factas ob bene merita. Nam licet nullum officium tam pium aut graue esse queat, quod non gratis a filio pater exspectare possit, tamen, quum amor rarissime adscendat, vel sic remuneratione quadam excitanda videtur pietas liberorum. Neque tamen patri<sup>s</sup> solius testimonio de his fidem habemus, sed, vt de meritis liberorum aliunde constet exigimus, et vt eximium sit periculum, quo filii interuentu liberatus sit pater, veluti si eum ex captiuitate suo aere redemerit filius, aut fideiubendo fidem eius saluam esse iussiferit. Adderemus, vt meritis par, non maior sit donatio, nisi quod ad collationem attinet, ne ea quidem liberalitatis pars conferenda esset, quae meritum excedit, quia huius contemplatione solo donationis simplicis titulo tutus est filius, vt pote quae nec ipsa confertur, vt deinde videbimus.

## §. XXIX.

*De Collatione  
fructuum et  
impensarum  
bonorum  
Aduentitio-  
rum Ordina-  
torum.* SED in Collatione bonorum aduentitorum ordinariorum saepe de Fructibus et Impensis quaeritur. Igitur de his quoque aliquid addendum videtur. Siquidem igitur fructus apud filium vel filiam residenceant, dubium nullum est, quin naturam induerint profectiorum non relictorum et eorum exem- ple

culo conferendi sint. Fructus enim peculii aduentitii ordinarii ad patrem pertinent, §. 1. I. Per quas personas cuique acquiritur, L. 6. et ult. §. 5. C. de Bonis quae liberis. Est id extra controvrsiam contemplatione liberorum Suorum: sed quid de emancipatis dicemus? Quandoquidem vtraque emancipatio expressa et tacita, cuius posterioris manifestum vestigium occurrat in L. 25. pr. D. de Adoptionibus, adhuc sunt in vsu, per ea quae adulit Dn. LEYSERVUS Meditat. ad Pandectas T. I. Spec. XXI. n. 3. et generalis est dispositio L. 3. C. de Bonis maternis, perinde ac §. 2. I. per quas personas cuique acquiritur, dimidia fructuum pars adhuc conferenda videbitur. Vsumfructum tamen hereditatis materna exipiems, vtpote qui totus patrem sequitur, per L. 3. C. de Bonis maternis, propter bene transacti matrimonii memoriam, et ne duplicitate simul dolore pater adficiatur, amissae puta vxoris et cum ea bonorum maternorum vsumfructus: quam legem, vtpote humanitatis plenam per Nouellam CXVIII. minime abrogatam esse, censet DONELLVS Commentariorum Iuris Civilis L. 3. c. 2. quem sequitur BRVNNEMANVS ad laudatam L. 3. C. de Bonis maternis. Et ipsorum liberorum interesse putat Dn. LEYSERVUS T. III. Spec. CLXIV. n. 5. patribus hoc beneficium seruari: inueniri enim patres complures, qui, ne vsumfructum penitus amittant, fortunas liborum suorum negligant, et in primis filias matrimonio collocare detrectent, faciliores futuri si scirent,

dimi-

dimidium sibi vsumfructum post nuptias earum superesse. Itaque fructus bonorum Aduentitorum ordinariorum percepti a Suis omnes, percepti ab emancipatis pro parte dimidia conferri debent, nisi pater se iis ipse abdicauerit, *L. 6. §. 2. C. de Bonis quae liberis.* Remissio tamen patris diserte facta requiritur, saltem, si tacite facta esse debet, de patris voluntate liquido constet necesse est, quia nemo donare praesumitur. Quodsi pater impensas fecerit in bona liberorum aduentitia, animaduertendum erit iudici, sintne hae impensae modicae, an maiores et cum perpetua rei, in quam factae sunt utilitate coniunctae. Modicas pater ipse tanquam usufructuarius fert. Debet enim recte colere et tanquam bonus paterfamilias vti. Vnde patris est aedes reparare, greges supplere, arboribus emortuis alias substituere, armentis et gregibus pastum procurare, sumtus litium subministrare, Tributa et alia onera ferre. *§. 38. I. de Rerum diuisione,* *L. 7. §. 2. D. de Usufructu.* Maiores contra impensas pater repetit: quo referimus quicquid ultra fructus perceptos praestitum est, veluti si aedibus ruinam minantibus, dum reficit impensas insignes insumferit, *L. 7. §. 2. D. de Usufructu.* Facient autem liberi proprietarii collationem impensarum, quas pater in bona eorum Aduentitia fecit et onerum quae pro iis tulit, quotiescumque patri repetitio eorum competit. Impensas contra voluptarias pater perinde, ut bonae fidei possessor non deducit, sed tollit, *L. 38. in fine*

*fine D. de Rei vindicatione*, adeoque collatio earum cessat, si parati sint liberi, pati, vt auferantur.

## §. XXIX.

BONORVM vero Peculii Aduentitii Extraordinarii vt proprietas, sic vsusfructus ab omni collatione liber est, quia vtrumque filii esse censetur. Talia sunt Bona I. peculii Aduentitii ordinarii, quorum vsusfructus filio, vel filiae diferte, vel tacite a patre cessus, *L. 6. §. 2. C. de Bonis quae liberis.* Hereditas II. quam filius renuente patre adiit, et si contemplatione eius ipfi obuenerit, *L. vlt. §. 1. C. eodem titulo.* Quae III. liberis non tantum a personis extraneis, sed etiam a matre, auia, aut aliis Adscendentibus inter viuos et mortis causa ea lege data, vel relieta fuerunt, vt pater in iis vsumfructum non haberet, *Nouella CXVII. c. i.* Portio IV. hereditatis, quam liberis una cum patre fratri sororiue germanis succedentes, consequuti sunt, *Nouella CXVIII. c 2.* Bona V. quae liberis propter matris delictum tribuuntur, *Nouella CXXXIV. c. ii.* et Feudum VI. a filiofamilias acquisitum, a. c. *vñ. II. F. 23.* quod, si virtute bellica filii partum sit, etiam ad peculium Castrense filii referri potest. Sed quid si pater ipse vni filiorum Feudum comparauerit, et filium eo inuestiri suerit, debetne vel hoc saltem conferri? Imo exemplo Praebendae, vel Beneficii Ecclesiastici, filio a patre emti, pretium

Neque bona  
adventitia  
extraordi-  
naria.

58 DE COLLATIONE BONORVM.

quidem a patre emtioni Feudi impensum conferendum erit, ceterum Feudum ipsum collationi eximetur, vtpote a domini benevolentia profectum, modo portio Legitima reliquorum liberorum laesa non sit, quae nimirum ante omnia supplenda est, STRUVIVS in Syntagmate iuris Feudalis c. 4. Aph. 15. n. 2. STRYCKIVS de Successione ab Intestato Dissertatione XI. c. 3. §. 6. Fideicommissa autem familiae, quia non ex re patris, sed ex eius bonis profecta sunt, qui Fideicommissum primus reliquit, ita, vt successori necesse non sit, paternam simul hereditatem agnoscere, in diuisione eius conferenda non sint, sed contra modus in iis succedendi ex dispositione fideicommittentis aestimatur, KNIPSCHILD de Fideicommissis familiae c. 8. n. 17.

§. XXX.

An conferen-  
da sit donatio  
simplex?

SED nos ad se vocat ea ipsa Constitutio, cuius in superiori Lege mentio facta, et cuius auctoritas nobilis simul est, quando quaeritur, An donatio simplex quoque liberis ab parentibus facta conferenda sit? Est ea

L. 20. §. 1. C. de Collationibus.

Ad haec, inquit Imperator Iustinianus cum ante nuptias donatio vel dos a patre data vel matre vel aliis parentibus pro filio vel filia nepote vel nepte certisque descendantibus conferatur, si unus vel una libero-

liberorum ante nuptias tantummodo donationem vel dotem accepit, vel acceperit, alter vero vel altera neque dotem neque donationem ante nuptias a parente suo suscepit vel susceperit, sed simplicem tantummodo donationem: ne ex eo iniustum aliquid oriatur, si ea quidem persona quae ante nuptias donationem vel dotem suscepit, conferre eam cogenda sit: illa vero, quae simplicem tantummodo donationem meruit, ad collationem eius minime coarctanda est, si quid huiusmodi acciderit, iubemus ad similitudinem eius, qui ante nuptias donationem vel dotem conferre cogitur, etiam illam personam, quae nulla dote vel ante nuptias donatione data, solam simplicem donationem a parentibus suis accepit, conferre eam: nec recusare collationem ex eo, quod simplex donatio non aliter confertur, nisi huiusmodi legem donator tempore donationis suae indulgentiae imposuerit.

Recensentur his verbis duo tantum casus, quibus donatio simplex conferenda sit: vnde recte colligitur, extra eos collationem non exigi. Casus excepti hi sunt, Si I. vni vel pluribus ex ceteris liberis Dos vel Donatio propter nuptias, alii autem donatio simplex data sit: ut enim ab illis Dos vel Donatio propter nuptias confertur, sic ab hoc donatio simplex conferenda est, idque euitandae inaequalitatis caussa. II. Si contrarium postea patris iudicium comprobetur. Evidem in verbis postremis legis nostrae, *Nisi huiusmodi le-*

## 60 DE COLLATIONE BONORVM.

gem donator tempore donationis suae indulgentiae imposuerit, vanum tantum donatarii argumentum, seu, vt nos loquimur, rationem dubitandi inuenisse sibi videtur *Dionysius GOTHOFREDVS in Glossa ad legem nostram litera m.* Verum donatarii sermocinantis nec vola nec vestigium est in verbis hisce, in quibus proinde rectissime secunda regulae limitatio quaeritur. Tertiam exceptionem adiicit *CVIACIVS L. III. Observacionum c. 30.* qua collatio facienda non sit, Si Suis ab intestato donatio facta, per *L. 13. C. de Collationibus.* Sed huic exceptioni locus non videtur. Tempore enim Diocletiani et Maximiani, qui sunt autores *d. l. 13.* collatio e testamento non fiebat, nisi testator eam fieri praecepisset, *L. 1. §. 7. D. de Collatione bonorum, L. 10. C. de Collationibus,* adeoque, si Cuiacium audiremus, verba *l. 13.* sisterent speciem ipsius regulae. Solet inde hic locus vehementer vovere plerosque interpres. Quidam cum *VINNIO de Collationibus c. XV. §. 10.* res filiaefamilias in potestate constitutae donatas ei in peculium datas fuisse existimant, quia datio in peculium et alias donandi vocabulo designetur, veluti in *L. 31. §. 2. D. de Donationibus, L. 37. §. 1. et 49. D. de Acquirendo rerum dominio.* Sed hanc interpretationem stare non posse, iam ante Vinnium docuerat *BRVNNERVS de Collatione bonorum c. IV. num. 852.* ipse tamen nihil idonei adferens, quo res in vado sisti possit. Forsan levatus videbitur scrupulus, si *L. 13. C. de Collationibus* adstringamus filiae suae: quippe

quippe cui facta donatio consistere non potest propter vinculum unitatis personarum, quo Suis valide donari a patre nequit, L. 1. §. 1. D. pro Donato, L. 3. §. 2. seqq. de Donatione inter virum et uxorem, §. 4. I. de Inutilibus stipulationibus. Qua ratione iam intelligi poterunt verba d. L. 13. in qua, Si fundis tibi filiaefamilias constitutae, inquiunt Imperatores, a patre donatus est, cum sorore patri communū succedens eum praecipuum habere contra iura postulas. Verba autem Nouellae XVIII. c. 6. Res per dotem forte aut alio modo datas, quae praeterea Sententiae nostrae opponi solent, commode de Donatione propter nuptias et eo casu donationis simplicis accipiuntur, quo ab una parte donatio simplex, ab altera Dos vel Donatione propter nuptias conferuntur. Profitetur enim Iustinianus in Nouella XVIII. c. 6. in fine, Omnibus quae prius de Collationibus a se sancta sint, in sua virtute manentibus, testati et intestati discrimin sublatum esse, quod et, Vinniana quamvis interpretatione L. 13. usus, probat Dn. WERNHERVS Observationum forensium P. I. c. 317.

### §. XXXI.

DEVOLVITVR nunc tractatio nostra ad Ius Nouellarum. Nobilissimum in eo

Nouellae XVIII. caput. 6.

An etiam ex  
conjecturis  
elici possit  
remissio col-  
lationis?

Illud quoque, inquit Iustinianus, bene se habere cre-

H 3 dimus

## 62 DE COLLATIONE BONORVM.

dimus hac lege complecti: prioribus enim legibus voluntibus, in collationibus siquidem sine testamento moverentur parentes, collationes secundum earum virtutem fieri: si vero testati nibil dicentes de eis, locum non fieri collationibus, sed res habere per dotem forte aut alio modo datas: et quae sunt relicta defendere. Nos sancimus non esse omnino talem opinionem: sed siue quispiam intestatus moriatur, siue testatus, quoniam incertum est, ne forsan oblitus datorum, aut prae tumultu mortis angustiatus, huius non est memoratus omnino esse collationes et exinde qualitatem, secundum quod olim dispositum est, nisi expressim designauerit ipse se velle non fieri collationem, sed habere eum, qui cogitur ex lege conferre et quod iam datum est et ex iure testamenti: omnibus quae prius de collationibus a nobis sancita sunt in sua virtute manentibus.

Summa huius capituli *Nouellae XVIII.* traditur in *Authentica Ex Testamento C. de Collationibus.* Redit haec autem eo, ut collatio Dotis et Donationis propter nuptias ex testamento perinde fiat, ac ex testamento: nisi defunctus aliud diserte cauerit. Voces, *Omnino esse collationes et exinde qualitatem secundum quod olim dispositum est,* subobscuras his verbis interpretatur **HOMBERGIVS**, *Omnino collatio aequaliter fiat, ut iam constitutum est.* Prouocat autem Imperator ad Constitutionem Leonis, quae hodie legitur in *L. 17. C. de Colla-*

*Collationibus et qua cautum est, vt liberis omnibus, quocunque iure ad successionem vocentur, intestatae puta successionis, aut testamentariae, aequa lance parique modo prospiciatur. Desit per hanc Constitutionem compensatio incommodi, quo olim emancipati Suos afficiebant, finis esse collationum, et in eius locum successit aequalitatis studium maximi semper momenti visum in conseruandis amicitiis.* EVRIDIDES in *Phoenissis*, v. 583 seqq.

Κεῖνο πάλλιον, τέκνον,  
Ισότητα τημάν, ἡ Φίλους δεὶ Φίλοις,  
Πόλεις δὲ πόλεσι, ξυμάχους δε ξυμάχοις  
Συνδεῖ.

*Illud multo melius est, o fili.  
Aequalitatem colere, quae semper amicos amicis,  
Vrbes urbibus et socios sociis  
Colligat.*

Quae quidem aequalitas expressa tantum prohibitio-  
ne, vel remissione parentum excluditur et impeditur,  
quum parentes rerum suarum domini sint et inde pro-  
lubitu de iis disponere queant, vt proinde talis re-  
missio similitudinem speciemque gerat donationis con-  
templatione eius, qui per eam onere collationis leua-  
tur.

## 64 DE COLLATIONE BONORVM.

tur. Constat autem de ea, si testamento facta sit, ex ipsis testamenti tabulis poterit, sive ab Intestato, ex testium depositione, sive ea generaliter facta sit, veluti si pater dixerit, Filium suum nihil conferre debere, sive nominatum rei alicuius non conferenda, veluti Dotis aut Donationis propter nuptias iniecta fuerit mentione. Vtique enim modo *disepte* facta est remissio. Sed an tacita, sive praesumta patris remissio sufficiat, quaeritur. Et sequestranda nobis videtur auctoritas praetorii, quo nonnulli obtentu constantis usus forensis contendunt, coniecturis hac parte locum esse. Repugnat enim haec sententia manifeste voculae *diseptim* quae in Lege nostra reperitur et ariolationibus omnibus locum praescindit. Expressa tamen prohibitio etiam verbis *obliquis* fieri potest. Finge patrem, qui filiae dotem dederit, dotis dationi adiecisse, ultra portionem sese eam dare, quae filiam post mortem ipsius secutura sit, et verbis obliquis facta remissio videbitur. Contra si pater rei familiaris unius liberorum subsidia paterna praestiterit, aliis contra Legatum reliquerit, minime obtentu tacite voluntatis paternae inferendum videtur, liberis prioribus collationem remissam videri. Idem dicendum erit, si filiae pater dotem dederit, ceteris autem liberis suis deinde in testamento suo maiorem hereditatis partem, quam filiae, aut Legatum grandius reliquerit, nisi simul caussatus sit, id ideo factum esse, quia filiae iam dos exhibita sit. Abrogatum enim est in Nouel-

DE COLLATIONE BONORVM. 65

Nouella nostra, tanquam Iure nouissimo, voce disser-  
tim fragmentum Scaeuelae in L. 39. §. 1. D. Familiae  
herciscundae, in quo is contrarium respondit.

§. XXXII.

IAM vero ad finem vergit disquisitio nostra,  
dum ultimo loco expendimus

An dotem  
conferre  
indistincte  
cogatur fe-  
lia?

Nouellae XCVII. caput 6.

Illud quoque sancire necessarium existimauimus, in-  
quit Iustinianus, in plurimis videlicet et innumer-  
ris rebus quae situm. Obtulit enim pater dotem,  
aut forte mater pro filia sua, hanc autem illa ob-  
tulit marito: et defunctus est vir inops. Deinde  
patre et matre mortuis, exigitur quae nupsit, cen-  
ferre suam dotem, aut minus tanto accipere. Si  
quidem vir idoneus est: causa vndeque absoluta  
est. Si vero nullius alterius domina constat il-  
la, nisi actionum quae contra maritum sunt, at il-  
lae minus idoneae sunt: et obiciatur mulieri, quod  
iam data sit dos pro ea: illa vero actionem con-  
ferat, nullum habentem penitus effectum legis:  
causa nobis digna putata est. Et nouimus quidem,  
iam in plurimis iudiciis duritiam postea sic iudica-  
tam, et mulierem coactam conferre dotem: aut cer-  
te reputare pro se datam, ex qua nullum ei omni-  
no contigit effectum in ipsis rebus recipere. Nos

I autem

autem ex aliis nostris legibus iuuamus cauissam.  
Quia enim dedimus mulieribus electionem etiam con-  
stante matrimonio si male res maritus gubernet, et  
accipere eas, et gubernare, et secundum decentem  
modum, et sicuti nostra constitutio dicit, si qui-  
dem suae potestatis, et perfectae aetatis mulier est,  
sibimet culpam inferat, cur mox viro inchoante  
male substantia vti, non percepit, et non auxilia-  
ta est sibi, (sic enim habitura erat in collationis ra-  
tione proprias res vndique, et sine diminutione,  
et in ea minus tanto collationem facere.) §.1. Sin  
autem sub potestate est, et sine patris voluntate  
hoc agere non poterat, si quidem adiens patrem hoc  
dixit, et contestata est, ut consentiret ei et res per-  
cipere etiam constante adhuc matrimonio, et secun-  
dis temporibus eas seruare, et hoc egit pater, etiam  
rursus hic integra habebit sua iura, rebus ei suis  
seruatis: cum etiam antenuptialis donationis res  
vindicare etiam constante matrimonio dederimus ei,  
et posteriori periculo omni liberari. Sin autem  
illa quidem haec contestata est patrem, ille autem  
neque mouit, neque consensit, et neque dedit licen-  
tiam filiae hoc agere, non eam periculum pati, sed  
et conferri nudam actionem contra inopis mariti  
res, et fortunam esse communem, et ipsi, et eius  
fratribus: non tamen ex collatione damnificari:  
sed competentem ei partem dari ex paternis re-  
bus: actionem illa quidem conferente: ab omni-  
bus

DE COLLATIONE BONORVM. 67

*bus autem mouendam fratribus, et hoc proficien-  
do vniuersis ipsis, quod fortunae euentus de-  
derit.*


Difficile est hoc caput propter verborum abundantiam, et in contrahendo eo non minus laboris ponendum fuit, quam alias poni solet in dilatandis Scaeulae et Africani Responsis. Est praeterea oratio vitirosa: nam speciei in linea 5. generaliter formatae de marito inope, deinde in linea 8. subiicitur species mariti locupletis, quam inopi adiungi, non subiungi lectoris interfuerit. Sed hoc frequens in Nouellis. Quod ad rem ipsam attinet, pater pro filia sua dotem marito eius dedit, quaeritur, An indistincte conferre dotem filia cogatur. Et distinguit Imperator, siue maritus soluenda doti par, nec ne, ut si par fuerit, procedat collatio, si impar, intueamur, suaene potestatis et perfectae aetatis, an in potestate constituta et minor viginti quinque annis mulier fuerit. Si suaene potestatis et perfectae aetatis fuit filia, tanto minus ex hereditate paterna fert, quanti Dos ipsius fuit, *per princ.* quia culpae rea est, dum rem dotalem, sui iuris et iustae aetatis constituta, pessimandi sicut. Sin contra in manu patris constituta fuit, interest sine discrimine aetatis, an instare apud eum non neglexerit, ut dotem repeteret, quo casu nudam actionem, et si, propter mariti calamitatem, effectu omni destitutam conferri ab ea sufficit, conuenienter

I 2


Iuri

26  
68 DE COLLATIONE BONORVM.  
P. 122

Iuri veteri, quo euanescit collatio, si res conferenda  
absque dolo et culpa coheredis interierit, per L. 2.  
§. 2. D. de Collatione bonorum, L. 6. C. de Collationibus, an  
vero dotem tempestive repetere per se, aut per pa-  
trem suum neglexerit, vbi non inanem actionem con-  
ferre, sed tantum sibi detrahi pati cogitur, quanti  
DOS fuerit, quia denuo culpa eius arguitur. Indi-  
cia autem, quibus moueri vxor possit, ad repeten-  
dam dotem a marito Rationes conturbante, haec fue-  
rint: Si maritus sumtus faciat ultra vires patrimonii  
sui, quod ex redditibus eius diiudicandum: si facilis  
porro sit ad fideiubendum pro aliis, et denique si fac-  
pe pecuniam sub foenore mutuam sumat et neque de  
forte neque de usuris soluendis sollicitus sit, et quae  
cetera sunt, quae facile sua sponte inuenerit sagax  
et cata materfamilias.







**ULB Halle**

3

005 361 559





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

EXERCITATIO  
IVRIS CIVILIS  
DE  
**COLLATIONE BONORVM**  
QVAM  
CONSENSV  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**GOTTFRIDO MASCOVIO, D.**  
AD D. XXII. NOVEMBRIS MDCCXLII.  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
SUBMITTET  
AVCTOR  
**IOANNES GOTTLLOB NEVHAVS**  
LIPSIENSIS

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

